



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
6 A
22

SCIPIONIS CAPICII
DE PRINCIPIIS RERVM
LIBRI DVO.

EIVSDEM
DE VATE MAXIMO
LIBRI TRES.






VENETIIS, M. D. XLVI.

PETRVS BEMBVS CARDINALIS SCIPIONI CAPICIO S. P. D.

Poema de principijs rerum tuum, heroicis carminibus conscriptum, in duos diuisum libros, legi sane libentissime: est enim eiusmodi, ut magnopere cum Lucretij stylum & elegantiam, tum antiquorum hominum ætatem illam cultam & perpolitam redoleat: itaque & tibi gratias habeo, qui me iucundissima tuorum librorum lectione oblectaueris; & Tassum nostrum ea de re plusculum etiam quã soleo amo, soleo autem & debeo certe plurimum, quòd eum puto tibi auctorem fuisse, ut mihi illos mitteres, ab ipso enim accepi. quamobrem edas illos censeo, sinasq; per manus perq; ora gentium peruagari: magna enim tua cum laude nomen ipsum proferent, & æternitati consecrabunt tuum. reliqua de Tasso, cum ad te redierit, intelliges. Vale. Quarto Non. Iul. M. D. XLV. Romæ.

Ad Illustrissimam Salernitani principis coniugem, ISABELLAM VILLAMARINAM, In Scipionis Capicij libros, de principijs rerum duos, de uate maximo tres, Pauli Manutij, Aldi filij, præfatio.



EX omnibus rebus humanis cum nihil sit literis doctrinaq; præstantius: sequitur, ut literato principe nihil esse laudabilius uideatur. non enim, si quis humili fortuna scientijs animum excoluerit, quamuis omnium uirtutum intelligentia sit ornatus, æque tamen eas uirtutes exercere poterit, ut summo loco natus. omnium est scire, non omnium tamen agere. non cadit in quemuis administratio iustitiæ, non liberalitatis. esse oportet, quibus imperes, ut iustitiam colere possis: esse, quod des, ut liberalitatem. Et quoniam ad hæc primum à natura formamur, & fingimur, ut, quæ laudabilia sunt, nostra spõte uelimus; deinde præceptis instituimur, ut uoluntatem ratio confirmet: utrunque si quis habet, uerissimis laudibus ornatur, eo magis, si is est, cui tertiũ etiam illud cõtigerit, ut fortunæ commodis abundet. nam qui uirtutem nõ ut primum bonum, sed ut alterius boni causam quærit, ut diuitiarum, ut honorum: ei uirtus, quæ perfecta nõ est, quia quæritur ad aliud, perfectam laudem afferre nõ potest. ea perfecta uirtus est, quæ se ipsa cõtenta nihil appetit, quod extra sit. hanc si quis est qui sequatur, qui unam diligat, qui ipsam propter ipsam, non propter aliud expetendam ducat: hic est, quem Dij præter cæteros diligere putantur, cui quidem eam mentem dederint, ut præter cæteros saperet. Tua hæc est, Isabella præstantissima, tua inquam hæc maxime laus est, cum

enim tibi aut ad opes, aut ad dignitatem nihil ferè posset accedere; quarum rerum cupiditate adducti, magnarum artium in studijs plerique uigilarunt; ipsa nihil huiusmodi spectans, uirtutis amore capta, cuius pulchritudinem animo cerneres, effecisti, studio tu quidem, sed ingenio magis, ut, cum esses omnium nobilissima, omniumq; pulcherrima, quorum alterum maiorū tuorū, maximeq; uiri tui, Principis omni laude cumulati, magnis rebus testata uirtus, alterū tibi indulgentissima Natura dedit, eadē et sis, et habearis omniū doctissima. hinc illa ad te colendam singularis omniū propensio: hinc multorū poetarū, quibus grauissima Regum bella magni operis argumentū suppeditare poterāt, ad te canendā traducta ingenia: hinc Capicius ille tuus tuarū laudū laudatissimus præco: qui te admiratur unā, qui obseruat; qui cū de te multa et uera prædicauit, ita cōcludit, unā habere, quæ optabilia sint, omnia. itaque me quidem eodem studio inflāmauit: nihil unquā ut ardētius optarim, q̄ ex tuis unus esse. quod quo facilius impetrarē, feci ipso permittēte atque etiā libente Capicio, ut eius libros, de principijs rerū duos, de uate maximo tres, meæ in te summæ obseruātiæ testes emitterē. diuinū carmē est, multis luminibus ingenij, multa arte distinctū. equidē nihil legi in hoc genere perfectius: ut ne Lucretius quidē pluris apud me sit: quo cum antea propter sermonis elegātiā delectarer, utererq; multū, cœpit mihi iā minus esse familiaris, posteaquā Capiciū legi. Hoc opus, et quia scriptū est à tui studiosissimo, et quia uersibus te dignis, idēst luculētissimis; nō dubito, quin à me missum auide accipias, sic inquā, ut de isto me munere ames plurimū. Vale. Venetijs.

SCIPIONIS CAPICII DE PRINCIPIIS RERVM,

AD PAVLVM TERTIVM PONT. MAXIMVM.

NAturæ mundiq; cano quæ semina primum,
Quæ causæ fuerint, atq; unde exordia rerũ,
Arduus, aspirent tantis modo numina ceptis,
Egregiusq; labor, longis qui corda tenebris
Soluere, & optata ualeat perfundere luce.
Hos mea num fluctus, hæc nare per æquora puppis
Audet, & intacto sua credere uela profundo?
Rex superum, superiq; patris mens unica, per quem
Ipsa parens uires natura accepit, & ortus,
Quo sine mortales longis erroribus actæ
Complentur miseræ tetra caligine mentes,
Annue, & his uires tribuens ingentibus æquas
Pollicitis, per te eduxit quas conditor orbis
Immensi, arcanas da rerum pandere causas.
Et tu, quem claræ iampridem gloria gentis,
Et tua præcipue uirtus immiscuit astris,
Siue feros arces Turcas oriente, piusq;
Te manet ille labor, formidatosq; coerces
Imperio populos, & Christi signa reposcis,
Optatamq; diu terris das maxime pacem
Farnesi, & fessis tandem paris ocia rebus;
Seu gentis te cura piæ sanctusq; moratur
Relligionis amor, dum tam diuersa sequentum
Hac super, ambigua soluis formidine mentes,

Et certa in ueram prodit sententia lucem;
Ignoti uada pande maris, tenuemq; procellis
Eripe, & ad tanti cymbam rege marmoris oram.
Perpetuæ tractus telluris uastaq; ponti
Aequora cœrulei, cœliq; immensa profundi
Mirati spatia, & mundum fulgentibus astris
Distingui, & uario ferri uaga sidera motu
Solerti ingenio mortales, abdita nosse
Naturæ arcana, & mundi indagare latentes
Tentarunt ortus, dulciq; cupidine rapti
Quærendi in rebus rationem, quæ hisce creandis
Vis sit, scrutantes, & quæ genitalis origo,
Inuenere uiam, qua rerum cernere causas
Primáq; nascentis possent exordia mundi:
Dumq; animo naturæ agitant secreta parentis,
His diuersa super decernere contigit, impar
Vt uotum est cunctis nec mens mortalibus una,
Tantarumq; ortus rerum penitusq; latentum
Aggressos aperire, globus caliginis atræ
Obtexit magis, eq; alijs innectere nodos
Assuerunt alios, uno centumq; soluto
Implicuere, nouusq; unquam non defuit error.
Ille igitur quicumq; fuit qui tradere primus
Hæc potuit, statuitq; nouo primordia mundo,
Et qui cœperunt naturæ prodere causas,
Principio finxere rudem nec corpore certo
Informemq; globum; uarias unde omnia primum
Discreta in formas, rerumq; effluxerit ortus.
Namq; hi, quæ uacuo nascuntur in æthere, tellus
Quæq; ferax parit, & salsi quæ stagna profundi,

Mirificis concreta modis, dum sumere cernunt
Hæc aliam, atque illis aliam subrepere sensim
Naturam, penitusq; noua mutare priorem;
In uariasq; eadem semper cessisse figuras,
Inq; alias rursus species extincta nouari,
Omnigeno haud ullam statuere in corpore formam.
Hinc ortum duxisse rati genitalia partes
Ducta per expressas orientis semina mundi.
Inq; illo, possent generatim unde omnia nasci,
Materiam latuisse rudem, confusaq; certas
Reddenda in species cunctarum exordia rerum.
Hinc chaos id Graij dixerunt nomine, primæ
Quod causæ nondum exprompta, uisq; abdita matris
Naturæ, rerumq; forent ibi corpora, nullas
Formata in partes, tantumq; incerta facultas,
Qua prima in species coalescere semina possent
Quæque suas, nasciq; opus admirabile mundus.
Id uero, fieri possent unde omnia, prorsus
Principio posuere carens, nullumq; putarunt
Huic ortum posse aut spatium præscribier æui,
Materia hæc fuerit cunctis quod prima creandis;
Dum non ex alio potuisset gignier, esset
Quando nil genitum quod non hinc sumpserit ortum;
Nec fieri è nihilo, quia corpora quæque uidentur
Ex alio gigni, inq; aliud corrupta resolui.
Hæc illis ratio, quis primis noscere curæ
Semina certa fuit rerum, decernere suasit,
Tellurem, et quicquid circum hanc diffunditur, ortum
Principio ex illo, lateq; patentia cœli
Mœnia conuexi, atque orbes duxisse coruscos;

Hanc longum sectati idem quos impulit ardor
Naturæ effectus studio indagare sagaci,
Ante alios pharij regio quis læta Canopi
Et fortunati suadent stagnantia Nili
Flumina mortales illinc contendere primos
In lucem eductos; & qui flammantia mentem
Astra super uigilem atque excelsi culmen olympi
Tollentes, solisq; uiam, lunæq; meatus
Sunt primi uarios scrutati, & quo uaga motu
Sidera uoluantur, seruent quem fixa tenorem,
Qui regere humanos casus sortisq; futuræ
Euentum stellas, atque hinc se posse putarunt
Ipso qui maneat mortales finis ab ortu
Præsagire, magi patrio de nomine dicti.
Hæc igitur se se extendens, lateq; recepta
Ancipites primo inuasit sententia mentes,
Obtinuitq; diu, donec solertia maior
Acrius humanos animos exquirere causas
Edocuit rerum, cœpitq; patescere longus
Paulatim, qui se cunctis offuderat, error;
Namq; animaduersum est, diues quæ educit & auctat
Natura, haud aliter prodire in lumina uitæ
Semina, ni è certis capiant hæc certa peremptis
Corporibus, neque proferri genitabile quicquam
Aspicere est, ni cuiusquam sublata recedat
Alteriusq; obitu nascendo forma nouetur;
Causa etenim certa est rebus resoluta creandis
Materies apta in certam se uertere formam.
Et quia tam uarias species & corpora quæque
E' certis gignit rebus natura, nec ullas

Aegyptij. Magi.

Generatio unius, e alterius corruptio Aris.

Sueuit ab incerta partes expromere matre.
Haudquaquam dederit quod rerum semina corpus
Cunctarum certa, incertum infectumq; putarunt;
Nec potuisse sua specie formaq; carere
Formata in lucem quod cuncta eduxerit, unde
Lumina cœrulei sint orta nitentia mundi.
Sumpserit unde sua immensi spumantibus undis
Circum septa maris tellus primordia mater,
Quis rerum uarias peperit fœcunda figuras,
Vmbriferas uolucrum sedes syluasq; uirentes,
Arboreos fœtus, fruges suauesq; liquores;
Diuitibusq; aurum uenis, caniq; metalla
Argenti, & chalibum, solidiq; effuderit æris;
Ex quo tot pecudum facies, formæq; uolucrum
Principio, & monstra omnigenũ sunt ducta natantũ.
Vnde etiam humani species pulcherrima fulsit
Corporis, ætheriæ donati munere mentis.
Ergo materiem, fuerit quæ rebus origo
Omnibus, informem patuit non esse, rudemq;.
Præterea quod non uera ratione putarint
Corpore ab informi naturæ semina oriri,
Inde etiam aspicere est, tenues quòd lucis in oras
Non aliter quicquam prodit nec concipit ullos
Ipsa parens fœtus, perimat ni corpora quædam
Miris iuncta modis genitalia fœdera soluens,
Hinc factura nouis natura exordia rebus,
Atque ita dissidium patiens abeunte priore
In liquidas auras extincto è corpore forma,
Materies aliam in faciem mutata resurgit.
Sic alia atque alia in lucem natura profundit

Semina, & inde nouas iterum manare figuras
Cernimus, inq; alias species sic cuncta renasci.
Quare non poterit corpus formarier ullum,
Ni uis leti aliud perimat compage soluta
Qua prior alterius constabat forma perempti;
Non etenim quicquam fit, ni certa intereat res.
Sic aliud porro ex alio fit, sic noua passim
Exoritur proles forma cedente priore.

Aspice brumali torpet cum frigore cœlum
Extrema in Scythia gelidæue Propontidos oris
Flumina, quæ uolucri cursu lata arua secabant,
Vt fluuidam linquunt formam, rapidumq; liquorem
In pigram glaciem durataq; corpora mutant;
Mox ubi sol propius radios intendit, & acrem
Dissoluens hyemem concretas uerberat undas,
Insolidum densata gelu uitreumq; rigorem
Liquitur in fluuium species resoluta rapacem.

Sic etiam liquidas fundit cum concaua guttas
Sub rigidis spelunca iugis quæ diues opimi
Lucanus pecoris curuo proscindit aratro,
In lapides stillans humor concrescere duros
Cernitur, & mollis paulatim astringier unda;
Non secus ac terram densat cum frigidus aer,
Vis tectis labens aut flentibus humida ramis,
Stillandi ut linquat morem, quæq; uda fluebat
In glaciem conuersa rigens iam stiria pendet.

Cernis item nigrans tormento inclusus aheno
E' salice ambusto nitroq; & sulphure puluis
Immissi rapidam si uim conceperit ignis,
Quam subito in magnum se uertit corpus, & aer

Fit tenuis,nuperq; locum collectus in arctum
Iam non se capiens fracto uelut æthere fulmen
Erumpit,cœlumq; horrendo murmure complet,
Fumiferas spargens nubes procul úsq; per auras,
Emissam flammante pilam dum turbine torquet;
Vsq; adeo haud aliter fiunt noua corpora, forma
Ni prior extinctis rebus sublata recedat.
Sic igitur cuncta omniparens natura profundit.
Humida sic promit fruges & gramina tellus,
Et fœtu ramos,& siluas frondibus ornat.
Deniq; per terras omnes salsumq; profundum
Non alia ratione queunt tot corpora gigni,
Nec ualet in proprias species genus ire animantum,
Ni prior extinctam discedens forma relinquat
Materiam unde nouis rebus deducitur ortus.
Ergo quod rerum fudit primordia,certum est
Non potuisse suam non esse in corpore formam.

Hinc ultra humanæ se se solertia mentis
Extendit,rursusq; alij reserare latentis
Naturæ arcana,& mundi manifestius ortus
Tentarunt primos,rerumq; ostendere causas.
Atque hi non uno posuerunt omnia claudi
Corpora complexu,nec certos cingere fines
Naturæ loca,nec spatio hæc præscribier ullo,
Quandoquidem innumeri possint existere mundi.
Quare id,quod circum se se diffundit inane,
Esse infinitum, atque omnes excedere metas,
Quod nullæ claudant oræ,nec finiat ullum
Extremum,careatq; omni quod denique fine.
Hoc intra immensum spatium uolitare minuta

opinio Lucretij et Epicuri, qua ex Athomis fien[...]

Corpora, quæ quoniam nequeant in frusta, minores
Nec findi in partes q̃ sint ea, nomine Graij
Dixerunt atomos; atque hinc elementa parentem
Naturam, & cunctis formare exordia rebus;
Dumq; ea perpetuum uarijs per inane feruntur
Motibus, & coeunt concursu corpora crebro,
Nexibus inter se ualidis, & fœdere firmo
Coniungi, inq; unum conuerti plurima corpus;
Atque ita cunctarum rerum primordia certis
Concilijs fieri, in lucemq; exurgere certam
Materiam, ex qua naturæ ducatur origo,
Corporibusq; fluant genitalia semina cunctis,
Inde ubi sera dies actumq; hæc finiat æuum,
Rursus in antiquas atomos corrupta reuolui,
In ueteresq; iterum conuerti corpora partes:
Sic rursum exigua immensum per inane uolare,
Concursu donec coeuntia corpora crebro
In noua iuncta modis miris elementa resurgant:
Sic alios infinitum per inane creari,
Solui alios, rursusq; minuta in corpora uerti,
Inq; uicem his obitum contingere semper & ortum,
Et posse innumeros hoc pacto existere mundos.
Hac prima omnigenam ratione effingere matrem
Corpora naturam, cunctisq; exordia rebus,
Graiorum est multis suasum, quis semina mundi
Prima fuit curæ & rerum cognoscere causas.
Hæc eadem Latio illata est, natisq; recepta
Roma tuis, studio claris cultoq; coruscis
Eloquio, ante alios Italum qui primus amœnos
Pieridum ingressus lucos è fronde perenni

Detulit in Latium graio ex helicone coronam,
Naturæ arcanas rerum dum pandere causas
Nititur, & raræ deflagrat laudis amore,
Hanc pater admittens dulci Lucretius ore
Exposuit, blandoq; tulit super æthera cantu.
Felix, si obscuris uerum cognoscere lumen
In rebus potuisset, mellifluoq; lepore
Mananti optasset rationem carmine dignam.
Non illo Aonidum quisquam de fonte liquores
Largius hausisset, nulliusq; inclyta nomen
Dignius æternum loqueretur fama per æuum.
Magne pater, nostra ò ueniens ne deleat ætas
Carmina, si solis radijs modo sidera quicquam
Luminis adijciunt, merito te semper honore
Prosequar, hocq; tuo uiuet cum nomine carmen,
Dum natura satis seruabit fœdera rebus
Imposita, & celso pendebunt lumina mundo.
Sed longe errarunt qui sic statuere parentem
Semina naturam rerumq; expromere causas,
Obscuris mersi in tenebris, ueraq; remoti
A' ratione procul, qui nil mortalia summum
Cœlicolum curare patrem, casuq; putarunt
Illa regi, æthereasq; animas ut corpora, uitæ
Lumine dilapso pariter succumbere leto.
Falso itaque est illis ea sic decernere suasum,
Namq; haud innumeris rerum primordia constant
Corporibus, paruisq; adeo, ut concidier ullas
In partes nequeant fieriue minora secando;
Nec mixtum raris densisue in rebus inane
Plusue minusue datur, spatium nec inane uacansue.

Quod uero hæc rebus non sint exordia primis,
Nec naturæ ortus dederint ea parua parenti
Corpora, quæ nequeant frangi in partesue secari,
Quæq; uacent numero late uolitantia certo,
Hinc liquet, & uera poterit ratione probari.
Nempe ea prima forent, si rebus semina cunctis,
Hærere inq; uicem tangi iungiq; necesse
Hæc foret, & se se per mutua nectere certo
Concilio, in certam quo sic commissa coirent
Materiam, inq; unum transirent plurima corpus.
Hæc uero quia sic fierent, hærentia circum
Parte alia atque alia fieret per corpora tactus,
Cumq; alio atque alio hæreret quodq; undiq; corpus.
Quare essent multæ omnino, quis mutuus inter
Ipsa foret tactus genitalia corpora, partes;
Atque ita nequaquam diuersis illa carerent
Partibus, & spatio constarent singula certo;
Vnde nec innumera hæc essent, cum cætera, quæ ex his
Orta forent, minime sint infinita, sed illis
Sit modus, & constent mensura singula certa.
Sic itaque ex atomis nequaquam corpora gigni,
Nec duci hinc rebus possunt exordia primis;
Nec spatium porro in rebus contingere inane
Posset, ut in cunctis extaret plusue minusue
Corporibus uacui pro textura, nexuque
Cuiusque, in densisq; parum multumq; daretur
In raris spatij impleret quòd cuncta uacantis.
Namq; nec in densis nec raris occupat ullum
Corporibus spatium, nec inest in rebus inane.
Quandoquidem genitis si quid contingere posset

Corporibus uacui, raris quod maxime inesset,
Dum laxæ partes essent, astringier, inque
Angustum ui humana aliquod se cogere corpus
Posset, ut hærentes inter compressior esset
Particulas nexus, & se densaret in arctum,
Contractumq; minus fieret totum undiq; corpus.
Sed non ulla potis uis est rarissima quamuis
Corpora in angustum spatium densare, minusue.
Quod licet in tenui penitus cognoscere flatu,
Quem strato in campo tentum super æthera follem
Aut iacere, aut forti salientem reddere pugno
Assuetus iuuenis lentæ insufflauit alutæ;
Illum etenim si quis pressando arctare, minusue
Contrahere in spatium tentabit, scindier ante
Dirumpiq; pilam, subitoq; exire tumenti
Effracto flatum claustro, & uanescere cernes,
In spatium arctari detur q̃ angustius unquam:
Vsq; adeo certum est non esse in rebus inane.
Id uerò ex alia constat ratione, patetq;
Inde etiam, quod dum contentum corpus, & intra
Quemuis conclusum locum ita immutatur & omni
Afficitur parte, ut totum densetur in arctum,
Quod fit præcipue astrictum est ubi frigore corpus,
Concepta calida ui discedente, necesse est
Vt quantum spatij se arctante relinquitur illo,
Tantum aliud corpus coniunctum repleat, ipsa
Inuita illius quamuis natura repugnet,
Vt nil non rerum admittat natura, feratq;,
Dum nullum omnino spatium patiatur inane.
Idq; cucurbitula immisso perfusa calore

Aut carni impressa, aut cedenti concaua cuiuis
Materiæ ostendit, namq; hinc dum frigore cedit
Obrepente calor, quiq; illa includitur aer
Contrahitur, spatiumq; ideo minus occupat, & se
Cogit in angustum, spatij non ulla uacare
Pars datur, hærenti sed succedente repletur
Corpore quod reliquum est, alio licet ipsa resistat
Illius & se se aduersum natura feratur,
Vt nihil haud usquam spatij sit inane, uacansue.
Sic etiam fluxæ trahitur uis humida lymphæ
Natura aduersante sui, si forte perustus
Limoso in stagno clausaue in ualle iacentem
Hauserit inclusam terebrato hanc stipite messor,
Illa subit, tractusq; loci quem deserit aer
Occupat, & sursum salientis lubrica suctu
Fertur, ut in rebus spatium non detur inane.
Ergo qui innumeros mundos statuere uacansq;
Atque infinitum spatium quod parua teneret
Corpora, concilijs quæ inter se hærentia certis
Omnia proferrent uitalis lucis ad oras,
Errarunt uera longe à ratione remoti.
Quare id quod uisum est alijs decernere rerum
De causis mundiq; ortu scrutemur, & ultra
Pergamus super his illorum exponere sensus.
Atque uidenda horum prior est sententia, certæ
Qui naturæ unum esse infinitumq; putarunt
Corpus, quo cælo ac terris, undisq; profundi
Sint maris, & primis deducta exordia rebus.
Atque hoc in spatium immensum diffundier extra
Mœnia conuexi corpus flammantia mundi.

Hæc

Hæc uero haudquaq̃ ratio est his tradita simplex.
Nam diuersa alij cœlo constare putarunt
Natura id corpus, quæq; ex hoc condita primis
Corporibus dias uenissent lucis ad oras.
Ast alij licet à cœli id statuere alienum,
Natura tamen esse rati sunt una eademq;.
Corporibus qua unum ex his est, aut liquidus aer
Aut ardens ignis uel aquarum mobilis humor.
Rite tamen nulli corpus, quo exordia rebus
Prima forent cunctis, infinitumq; carensq;
Præscripto spatio, cœlum, quia tempore certo
Voluitur, & mensura finitum esse necesse est,
Constituerunt esse, quod illud uertier ullo
Non posset certo infinitum tempore corpus.
Aut igitur natura alia penitusq; remota
Materiam à genitis rebus primam esse putarunt,
Aut eadem è tribus est uno quæ in corpore primis,
Aere uel liquido aut igni tremulo ue liquore.
Sed qui materiam hanc rebus statuere creandis
Hi quoq; semoti uera à ratione uagarunt;
Namq; extra cœlum cuiusuis non datur usq̃
Naturæ esse, ac non infinitum modo corpus,
Sed nec certa etiam cui sit mensura, nec ullum
Omnino, usque adeo è cœli nil finibus exit.
Et natura illud quo sint exordia rerum
Esse à corporibus cunctis non posse remota
Ardua quæ mundi amplectuntur mœnia corpus,
Inde patet, certaq; potest ratione probari,
Cuncta etenim dum se corrumpunt corpora in illud
Vnde erat his ortus demum se extincta resoluunt.

Namq; id quod rebus fundit primordia cunctis
Corpus idem est illæ sua cum se in semina uertunt,
In corpusq; abeunt unde his manauit origo;
Sed quæ dissidium patiuntur corpora, certum est
Non nisi in horum aliquod uerti, quæ finibus ambit
Immensis late qui amplectitur omnia mundus.
Ergo id materies fuerit quod prima creandis
Corporibus, dederitq; nouo primordia mundo,
Diuersum à mundi natura haud esse necesse est.
Quare pars eius rationis, qua noua rerum
Semina manare ex horum quæ ostendimus uno
Corpore decrerunt, similis magis altera uero est.
Sed qui hæc gignendis posuere exordia rebus
Errarunt, horumq; etiam sententia longe
Absuit à ratione, ipsum dum semina corpus
Prima ferens rerum, extra lata existere cœli
Mœnia in immensum spatium statuere profundi,
Et se se extendens omnes excedere metas,
Perpetuos fusum in tractus, nec finibus ullis
Comprensum; ueræ prorsus rationis egentes,
Qui spatium hoc ingens mundi immensasq; cauernas
Vasto animo augere, & tantos protendere fines
Tentarunt meditando, inq; id se extollere mente
Quod nil sit nulloue queat consistere pacto.
Ac si is qui cœli diffunditur undiq; tractus
Non satis ad speciem naturæ ususq; fuisset,
Cuius qui norint spatium quamq; omnia late
Finibus immensis claudat, non debeat æque
Quam tanta ijs moles esse admirabile quicquam.
Sed quæ corporibus uis est ostendit eadem

Natura haud posse infinitum existere corpus,
Quæ est horum quoduis quod cœlum clauditur intra.
Ex illis etenim aut graue quodq; est, aut leue corpus;
Et grauia in præceps recta mundiq; feruntur
Ad medium deorsus pressanti pondere tracta;
At contra è medio sursum tendentia recta
Tolluntur leuia, eq; imo sublata resurgunt;
Atque intra cœlum sic corpore cuncta mouentur.
Ast infinito in spatio non est locus usquam
Omnino medius pars certa aut terminus ullus:
Inde infinitum haudquaq̃ leuitate daretur
Extolli aut pressum delabi pondere corpus,
Dum locus huic superus non usq̃ aut inferus esset
Quo se se ferret, regio nec certa, neque illi
Hi possent certi prorsus contingere motus,
Qui natura agitant quæ claudit corpora mundus.
Quare ex illorum natura existere corpus
Nequaq̃ id posset certo quod fine careret.
Ergo siue alia id corpus constare putarint
Natura è genitis rebus, quod certa creandis
Corporibus tulerit genitalia semina cunctis,
Siue eadem qua aer ignis'ue humor'ue fuissent,
Esse infinitum nequaq̃ posse fatendum est.
Hæc de principijs uarie decernere rerum
Est alijs uisum atque alijs qui deuia longis
Per nemora errarunt seclis altosq; recessus,
Dum cupide exquirunt naturæ claustra latentis
Ingredi, & arcanas mundi cognoscere causas.
Nunc age mens hominum quid uestigauerit ultra
His super, & quæ iam late sententia rerum

De ortu per magnas admissa est undiq; gentes
Expediam; iuuat in lucos penetrare silentes,
Perq; alta umbriferi nemoris deserta uagare,
Dum claro obscura studeo reserare reperta
Carmine, & arenti latices inducere campo
Aonidum uiridi e' luco, quo terra liquore
Emittat madefacta nouo de gramine flores,
Vnde meæ insignis pingatur laurea fronti.
Sed iam quæ late inualuit sententia cunctis
Obseruata diu de ortu dicenda parentis
Naturæ, & prima nascentis origine mundi.
Materiam primam qua rerum corpora constent
Cunctarum in tenues quæ oriuntur luminis oras,
Quaq; perempta atri uis leti dura resoluit,
Quatuor in rebus statuerunt, igne, animaq;,
Humenti lympha ac terra; quis cætera gigni
Corpora cuncta rati e' primis elementa uocarunt.
Et coniuncta quidem in reliquis ea quatuor esse
Omnibus, ac genitis confusa admistaq; rebus,
Naturam per se ipsa habeant cum singula certam.
Hinc fore simplicia in puraq; existere prima hæc
Natura, at mista & compacta his cætera primis.
Namq; in corporibus cum frigus inesse caloremq;
Aspicerent, calida uno eodemq; haud posse putarunt
Corpora principio genitali, & frigida oriri.
Aduersatur enim frigus, pugnatq; calori;
Sic quoq; cum ariditas insit tum liquidus humor
Corporibus, quæ etiam res mutua prælia miscent,
Arida non posse atque humentia corpora gigni
Principio ex uno, & communi e' matre creari.

Materia -
rfit i 4r
Elementy.

Quatuor his uero ratio est affectibus illa
Per cuncta aerias quæ oriuntur corpora in auras,
Vnus ut aduersus sit cuiuis de tribus uni
Qui superant, reliquis è binis differat idem
Alterutri; porro à reliquis non discrepet hilum.
Nam quæ cuncta calent penitus frigentibus obstant;
At uero hæc aut humida sint aut sicca necesse est.
Frigida sunt itidem calidis aduersa, sed illis
Arida uel uis est aut humens, sic quoq; certis
Humida dissidijs inter se atque arida certant,
Sed natura calens horum uel frigida utrisq; est,
Vnde quater geminos certum est in rebus inesse
Quatuor affectus genitis, quæ arentq; calentq;
Quæq; hument calida, & quæ frigent humida, quæq;
Arenti è natura immisto frigore constant.
Quatuor esse igitur statuerunt prædita binis
Singula per se rerum elementa affectibus, unde
Certa quater diuersa foret genitalis origo
Corporibus, natura creat quæ dives & auctat.
Esse autem calidaq; ignem arentisq; putarunt
Naturæ, & lymphæ humorem frigere liquentis;
Et tepidum humere aera, magnæ frigore brutum
Telluris corpus permisto arere parentis.
Quatuor ipsa autem sunt credita corpora cunctas
Res supra ortas pura, & qualia prima necesse est
Esse in corporibus quæ sunt elementa creandis.
Cum uero cunctis eadem sit rebus origo
Materiæ, ex alioq; aliud non ducere corpus
Semina principio pote sit, dum exorta quaternis
Cuncta è corporibus posuissent semina primis,

Quatuor hæc etiam esse in re una quaq; fateri
Iuncta necesse fuit, primisq; his cætera mistis
Corpora produci ex elementis primaq; cunctis
Confusa in genitis admistaq; corpora rebus,
Inq; unum è puris fieri coeuntibus ipsis
Materiem rerum quascunq; sub ætheris oris
Arida producit tellus aut mobilis humor.
Id uero in gignendis soluendisq; putarunt
Corporibus nosci, dum res per prima uiderent
Quatuor hæc gigni in lucem extinctasq; resolui.
Suppositis etenim fornax calcaria flammis
Dum calet, & duri ardenti torrentur ab igne
Inclusi silices, natiuum pondus in auras
Ætherias abit, atque urendo densa dehiscit
Materies, quodq; è rapida de marmore flamma
Demitur excocto in tenuem se se aera uertit.
At silice ex ipso si ferro alliditur, ardens
Scintilla, & calidus frigenti excuditur ignis.
Præterea in lapidem tellus densatur, idemq;
Liquidus in marmor densando cogitur humor.
Sic illis igitur uisum est elementa creari
Per prima hæc genitas res corruptasq; resolui.
Namq; rudi è terra, teneroue humore coacto
Fit lapis, unde aer, & candens gignitur ignis.
Sic quoq; cum dubij subeunt certamina belli
Ferro instructæ acies, & totis uiribus hostes
Mutua consertis exercent prælia dextris,
Dum caua terribili tinnitu pulsa resultant
Arma, uomunt crebros gladijs tundentibus ignes.
Præterea duris sonipes calcaribus actus

Dum salit, & silices ferratis calcibus urget,
Excudit rutilos ignes, soleaq; latentem
In tenues acer scintillam dissipat auras.
Defossi quoq; pars chalybis rubigine sensim
Exesa in terram putrescit, at aera soluit
Se pars in tenuem leuibusq; adiungitur auris.
Idem etiam fornace chalybs ardente liquescens
Humorem in tenerum dissoluitur, & noua fusis
Ducitur è riuo feruenti forma metallis.
Collisis etiam diffundi cernitur ignis
E' trabibus, duraq; abstrusam ex arbore flammam
Excudi, montesq; procul fumare minaci
Ventorum impulsu se se allidentibus alto
Stipite concusso patulis per mutua ramis,
Flammarumq; globos undantes surgere in auras.
Deniq; dum magnos natiua incendia montes
Ructare, & calidas in cœlum uoluere flammas
Aspicerent, tepidosq; ardenti exurgere fontes
Tellure, & magnos antra exudare uapores;
Sulphureosq; lacus uasto cum murmure ab imo
Misceri, & rapidis tolli feruoribus undas,
Flammarum in genitis abstrudi semina rebus
Omniaq; ignigenas æstus celare putarunt.
Tum uero omniferam uaria ex humore uidebant
Corpora naturam molli producere matrem;
Frondosasq; comas nemorum stirpesq; feraces,
Ac ueris frondentis opes, & gramina læta;
Et quæ præterea è fœcundis plurima promit
Visceribus terra fluuido manare liquore,
Et liquidis teneri è guttis coalescere roris,

Quæ uigor excedens proprius cum extincta relinquit,
Tellurem in putrem partim corrumpier, auris
Misceri partim, inq; animam transire liquentem.
Compositis igitur cunctis elementa putarunt
Quatuor hæc ideo coniuncta in rebus inesse,
Singulaque immistis constare his corpora primis,
Quod mistum aspicerent è quopiam oririer ipsis
E' primis quoduis se in cætera soluere corpus.
Atque ita dum mista exoriuntur corpora, dumq;
Demittunt primam hæc eadem resoluta figuram,
Miris iuncta modis naturæ prima putarunt
Omnigenæ in quouis mistorum semina nosci.

Sed iam quæ de corporibus sunt tradita primis
Quatuor, & longis uulgata admissaq; seclis
Quàm recta fuerint ratione inuenta uidendum est.
Idq; indagandum in primis, hæc ducitur unde
Traditio, an quoniam quos supra ostendimus ortis
Esse quatergemini affectus uarijq; uidentur
Corporibus, gigni sic corpora mista necesse
E' puris diuersi affectus quis quater insint;
Vt quoniam uarijs distant se affectibus inter
Condita, principio possint non omnia ab uno
Manare, eq; eadem produci corpora matre.
Namq; è principio quædam contingeret ortus
Accipere affectus ijdem cui prorsus inessent;
Principium uero reliquis foret omnibus ipsum,
Cui affectus ambo aut esset contrarius alter;
Nam cunctis seu sint naturæ corpora mistæ,
Seu puræ gemini primis è quatuor illis
Affectus insunt; ui sicca humore liquenti,

De numero El[e]m[entorum]

Frigore seu densanti laxantiue calore,
Vt si corporibus cunctis foret una creandis
Materies aqua; quod Graij qui noscere mundi
Semina tentarunt quidam statuere priores,
Frigida constarent atque uda affectibus ijsdem
Corpora, prima quibus rerum genitalis origo,
Aut arentibus & calidis diuersus uterq;
Affectus, calidis uero atque humentibus alter.
Idq; etiam omnino contingeret, omnibus aer
Si foret aut tellus genitis aut ignis origo;
Siue etiam ex ipsis duo si primordia rebus,
Vt quondam uisum est non nullis, sola fuissent,
Aut si forte tria, id fieret quoq; prædita quædam
Corpora ut ex alijs q̃ prima affectibus essent.
Quandoquidem affectus, geminis quis singula cõstant
Corpora, diuersi in rebus quater omnibus insunt.
Ergo quatergeminis quod sint affectibus ipsis
Corpora diuerse se se inter prædita, uisum est
Et dubio procul admissum, prima omnibus esse
Quatuor omnino genitis exordia rebus,
Cum quibus haudquaq̃ quæ ex his sunt cõdita partim
Corpora conueniant, his partim cætera pugnent;
Sed quibus & puræ mistæq; affectibus ipsæ
Res constant, cum principijs orientia prorsus
Corpora conueniant, nec ab illis cætera distent.
Hæc elementorum ratio ex affectibus hisdem
Quatuor inter se diuersis, uerior inde
Præcipue uisa est, quod cum sint pura necesse
Esse ea corporibus quæ sint elementa creandis,
Quatuor hæc supra quæ ostendimus ignis & aer

Humorq; & tellus, ſunt puræ credita prorſus
Naturæ, non plura illis numeroue minore.
Id uero haud ſenſu tantum, ſed poſſe per ipſos
Affectus etiam noſci ratione putarunt:
Quod cum affectibus, ut prædictum eſt, ſingula binis
Puræq; ac miſtæ naturæ corpora conſtent,
Cumq; quater diuerſe affectus omnibus inſint
Corporibus gemini, diuerſis quatuor eſſe
Prædita prima modis ſit corpora pura neceſſe
Non minus ac miſta, atque ideo quæ ſemina cunctis
Corporibus dederint, elementa fuiſſe quaterna.
Nunc uero id primum inſpiciamus, quatuor illa
Quæ pura & reliquis ſunt prima exordia cunctis
Tradita corporibus, tellus, aqua, ſpiritus, ignis,
An quater inter ſe diuerſe affectibus illis
Conſtent, ut nequaq̃ affectibus omnia primis
Compoſita à puris elementis corpora diſtent,
Vt calidus ſiccusq; ignis, ſit frigida & humens
Lympha, calens aer natura atque humidus idem,
Omnipara areſcens permixto frigore tellus.
Eſſe autem tales certum eſt ignemq; liquoremq;,
Aſt animæ ardorem, telluri frigus ineſſe,
Nec ratio admittit nec uis capit ardua mentis.
Nam quoduis ut ſit corpus frigensue calensue
Accipimus ſenſu eq; effectu noſcimus ipſo;
Quare ſic demum naturæ ſpiritus eſſe
Credetur calidæ, afficiat ſi admota calore
Corpora; frigentis contra cenſebitur ipſa
Frigore ſi tellus hærentia corpora denſet.
Quandoquidem ſumme afficiunt frigusq; calorq;.

Ergo animam calidi si non emittere quicquam
Per se ostendemus, sed magnum reddere frigus
Nec per se quicquam tellurem frigore matrem
Afficere, ac magnum potius præbere calorem;
Contingit stare ut nequeat labemq; minetur
Quatuor his moles naturæ fulcta elementis,
Dum frigere animam apparebit, terramq; calere.
Quatuor his primis nequaq̃ ut quater insint
Naturæ ex primis diuersæ affectibus illis,
Vnde patet reliquis haud esse hæc semina rebus,
Quando corporibus fuerint si exordia plura,
Naturas esse his plures uariasq; necesse est.
Ac prius omnigena est terra de matre uidendum,
Post animæ qua ui constet natura liquentis.
Id uero hac in re attendendum est, in ratione
Naturæ, affectu quæ uis censerier illo
Quo per se ac propria ui constant corpora, non quem
Accipiunt aliunde, & quo facile afficiuntur;
Prædita enim per se natiuo multa calore
Frigescunt facile, facileq; calentia contra
Frigentis quæ sunt naturæ corpora fiunt.
Nam quid frigidius lympha est natura? rigentem
Vim tamen ingenitam facile calefacta relinquit.
Illa etenim conclusa utero fumantis aheni,
Supposito largos æstus si concipit igne,
Aestuat, ingentiq; furit tumefacta calore.
At contra quisq̃ si animantum corpora lymphæ
Comparet atque animæ, per se constare calenti
Natura noscet; nam uita animantibus ipsis
E' calido constat, facile tamen illa calorem

Natiuum rigido torpentia frigore linquunt.
Cum forte in Scithicis brumali tempore campis
Horrida tempestas late desæuit, & acri
Frigore densatur tellus, montesq; niuales
Præcipitat gelidus grauidis è nubibus æther,
Omne hominum genus, & mutarum secla ferarum
Pertentat subiens ima in præcordia frigus;
Tum multis uita in tenues dilabitur auras,
Et concreta calor uitalis corpora linquit.
Balantumq; greges pereunt armentaq; læta;
Et rigido passim uolucres ex æthere lapsæ,
Extinctisq; coit frigens per corpora sanguis.
Ipsa igitur tellus natura frigida non est
Propterea, è liquidis lapsos quod nubibus imbres
Dum bibit aut humore alio madefacta liquenti est,
Emittit frigus, namq; id non reddere tellus
Apparet, sed qui natura est frigidus humor.
Ille etenim arenti dum terra emittitur ipsa
Afficit admotum torpenti frigore corpus.
Sed nec quod lapidum natura est frigida, terram
Vi quoq; frigenti omniparam constare putandum est,
Ossa themis quamq́ cecinit iactanda parentis,
Tempore quo undiuomo absorptis mortalibus imbre
Deucalion genus humanum reparauit, & orbem
Per uacuum lapides iecit, tenuiq; repente
Infusa caluere anima frigentia saxa.
Nam neque qua lapides tellus ui constat eadem,
Quandoquidem lapidũ haud una est natura, sed horũ
Diuersis ualde naturis prædita uis est.
Vis etenim propria est humore carentis arenæ.

Gypsus item & Calybum uenæ,& quæ talia tellus
Educit, propria natura singula constant.
Atque his non eadem quæ ipsi uis insita terræ est.
Quare telluris ratio dum quæritur,illa
Excludenda procul sunt,indagandaq; puræ
Telluris uis est,num per se frigora reddat,
An caleat,tenuem ne animam præstet ue calore.
Hæc uero ut certa possint ratione probari,
Præcipue ex sensu dabitur tibi nosce animantum.
Nam cum sæuit hiems,& cœlo frigidus humor
Densatur,caniq; ruunt è nubibus imbres,
Non loca tecta modo exesisq; in rupibus antra
Arcendam ad pluuiam quærunt,sed uiscera terræ
Rimantur penetrantq; feræ,quis frigora uitent
Seq; magis calida condant tellure sub ima,
Frigus ubi & gelidi deuitent uim aeris acrem,
Nec temere è latebris rigidæ sub tempora brumæ
Tristia defossis degentes ocia terris
In lucem ueniunt,cœlo ni clarus aperto
Sol prodit radijsq; patens fulgentibus aer
Forte repercutitur, solitoq; affecta tepescit
Terra magis,densæ frigiunt dum ex æthere nubes,
Sed contracta cauis gelido procul aere condunt
Corpora, uere nouo donec producit aperto
Terra sinu nitidis distinctas floribus herbas,
Et uarios promit non uno è semine fœtus.
Tunc horrens segni resolutus membra ueterno
Egreditur, fossasq; domos terræq; latebras
Deserit,atque situm uillis deformibus ursus
Excutit,& totum se ad solem lan.bit apricum.

Et mutum quodcunq; genus brumale perhorrens
Frigus & acre gelu sub terra conditur ima,
Non prius optatam lucem cœlumq; reuisit,
Quam calidis gelidus tepefiat solibus aer,
Verq; hyemem fuget informem glaciemq; relaxet.
Ipsa igitur quot bruma tegit tellure sub alta,
Sub latebrisq; gelu uitant animantia cæcis,
Ostendunt tenuem natiuo ut bruta calore
Exuperet tellus animam, illiusq; tepentem
Naturam ex horum dabitur tibi noscere sensu,
Et contra ut gelida ui constet liquidus aer.
Id uero ex sensu non tantum nosse animantum,
Sed rebus licet ex cunctis tibi cernere, possunt
Quas tenuis calor afficere aut penetrabile frigus.
Namq; liquens aer, & tellus arida per se
Tantum si afficiant, nec solis ab igne calescant,
Admotum quoduis animæ frigescit ab illa
Corpus, idem crebra cinctum tellure tepescit.
Hæc tamen ex multis poteris cognoscere rebus.
Arida quas tellus aut humidus afficit aer,
Præcipueq; patent è mollis corpore lymphæ.
Hæc etenim nostrum cum sol obliquius orbem
Despectat, radiosq; minus concreta rigenti
Terra gelu in liquidum phœbeos aera reddit,
Visceribus uenisq; magis calet abdita terræ.
At quæ per campos se se diffundit apertos,
Et teneræ uacuis animæ coniungitur oris,
Non modo uim retinet gelidam, sed sæpe nitentem
In glaciem, pigrumq; gelu concreta rigescit.
Vnde patet celerem ut sistant labentia cursum

Inq; nouum subito concrescant flumina marmor;
Vtq; uagus tumidum magno cum turbine in æquor
Voluere præcipites suetus dannubius undas,
Sol ubi decedens udum declinat ad austrum,
Frigescens lymphæ qua dorsu spiritus hæret,
Cæruleas coit in crustas glaciemq; rigentem.
Ipsum etiam ad septem tellus qua extensa triones
Cingitur offusus pallet dum nubibus aer,
Aduersoq; nitet phœbi fax fulgida in orbe,
Oceanum stringi perhibent, uitreamq; coire
In glaciem, & late undisonum concrescere marmor
Ergo quod iunctum corpus tellure calescit
Vi gelidum id reddit natiua spiritus hærens.
Quapropter tellus animæ collata liquenti
Non modo non gelida est, illi sed frigus inesse
Censendum; contra, quantum non sole tepescit
Admoto, tenuis natura spiritus alget.
Atque etiam si quis per se consideret ipsum
Omniuagum, siccæ nec comparet aera terræ,
Constabit naturæ illum non esse calentis,
Sed gelidæ omnino, & rigido qui frigore terram
Non ipsam tantum, terrenaq; corpora uincat,
Sed uideatur aquis etiam non esse rigenti
Natura inferior, frigereq; non minus illis,
Admotumq; acri perstringere frigore corpus.
Ipse autem usque adeo per se se est frigidus aer,
Illius ut frigens stringat uis sola pruinam,
Producatq; niues gelidas; tenerumq; liquorem
Grandinis in duræ crepitantia corpora uertat.
Atque adeo certum est ui animam constare rigenti,

Vt madidam se se tenuis qui colligit humor
In pluuiam, solito cum fit sublimior, æstu
In medio quoque densetur, concretaq; fiat
Grando, & flauentes late prosternat aristas;
Quandoquidem terræ qui obducitur infimus aer
Quantum eadem solis radios percussa coruscos
Reflectit tellus calcfit, gelidamq; relinquens
Naturam, emittit calidos quos concipit æstus;
Præcipue æstate in media, uehementior ille
Aera cum pulsat reflexus, quod ferit ipsam
Tunc minus obliqui solis uis ignea terram.
Altior ast aer quo non pertingere solis
Reflexus potis est, friget, semperq; rigenti
Vi constat, quoniam natura est frigidus aer.
Nec secus ac mollis reddit frigentia liquor
Admota & gelida ui stringit corpora, quo fit
Vt pluuius coeat fluor, & concreta rigente
Aere præcipitet magno cum turbine grando.
Quapropter plane constat, per se aera quoduis
Afficere admotum torpenti frigore corpus,
Naturaq; illum prorsus frigere, suaq;
Reddere ui magnum quocunq; in tempore frigus.
Quatuor ergo illis ratio ex affectibus inter
Se se diuersis nil rebus quatuor ipsis
Conuenit exortis quæ sunt exordia prima
Tradita corporibus cunctisq; elementa creandis.
Namq; nec humor inest calidus nec frigida in illis
Ariditas, cum & lympha fluens & mobilis aer
Quæ sunt humentis naturæ, ui quoq; per se
Frigenti constens, ex his quæ ostendimus, ambo.

Ipsa autem cui uis arens est insita tellus
Sit potius calidæ naturæ qualis & ignis.
Quod si ut deductum est, ea corpora quatuor, ima
Tellus, & mollis liquor, aer, ac leuis ignis,
Quatuor haud primis sunt his affectibus inter
Se diuersa quater, naturæ corpore quales
Quatuor in genito certum est existere quouis,
Omnino constat non hæc affectibus esse
E' primis ipsis orto in quocunq; quaternas
Corpore naturas, cunctis elementaq; prima
Ac rerum omnino si exordia plura fuissent,
Diuersa inter se, & natura singula, uiq;
Esse sua, à reliquisq; foret differre necesse.
At uero haudquaq̃ sunt talia quatuor illa
Corpora, sed cum alio natura singula eadem.

Corpora qui primus descripta pingere forma,
Certum opus assimulans studuit, pingensq; referre
Naturam, humanæ digitum circum tulit umbræ;
Lineaq; oppositum conspecta est ducta referre
Corpus, & effigiem similem sic ponere uero.
Hinc rerum species imitari certius arte
Inuenta, & molles alij miscere colores
Cœperunt, propriumq; decus sensim addere formis;
Conati certum pingendo ostendere morem
Naturæ, atque umbras rerum monstrare sequaces.
Vnde ipsos modo non spirans elusit imago
Artifices, natiua ratos se ponere, pictor
Quæ uafer in tabulam mira deduxerat arte.
Sic hominum incipiens sensim mens dædala partes
Certius expressas picto est imitata, rudisq;
Succedens uitia expoliit solertia secli,
Tantum acuit longo ingenium se tempore dulci
Dum demonstrandi naturam flagrat amore.
Sic & qui arcanos ortus ostendere rerum
Primaq; nascentis cœpere exordia mundi
Ex alijs alias naturæ ducere causas
Aggressi, uarie super his statuere, diuq;
Certarunt penitus rationem exquirere ueri,
Et cæca eripere humanas caligine mentes,
Donec longa dies, uariosq; exculta per usus
Mens iter inuenit ueri ad sublimia templa,
Et certas rerum, quantum non impedit ægra
Mortalis ratio, causas ostendit, & ortus,

Quæ modo tam densis procul inde ambagibus actis,
Abdita naturæ cupientes claustra subire,
Ante oculos interq; manus exposta tuentur,
Omnia pierio à nobis conspersa liquore.
His igitur statuendum est perspicueq; tenendum
Quid sit quod dicunt elementum,& uis ratioq;
Est eius scrutanda rei noscendaq; primum,
Vt plura,anne unum sint rerum semina corpus.
Vtque illud cunctis fuerit quod origo creandis
Corporibus reliquis liceat discernere quid sit,
Atque animis rerum naturam noscere auentum
Hæc monstrare nouo ac dulci comperta labore.
Ac ratio omnino duplex est corporum in ipsis
Principijs ex materia,ex formaq; petita,
Et nunc materiæ primos tractabimus ortus
Semina quæ mundi rerumq; elementa uocamus.
Porro id cum liquido,naturæ conditor ausis
Annuat his tantum,& uera ratione probarim,
Tunc demum quæ sint ostendam exordia formæ.
Principium namq; id rebus datur omnibus,ex quo
Progenitis primus reliquis deducitur ortus,
Atque in quod redeant demum resoluta necesse est.
Et talis cuncti naturæ elementa putarunt,
Vt uocum primas,quarum quod quæq; figura
Sit signata sua deductum est littera nomen,
Prima elementa uocant primis quod uocibus his fit
Cuncta oratio,ad extremumq; resoluitur ipsas
Illius sonus in uoces,unde illi erat ortus.
Talia enim haud rerum cunctarum corpora prima
Esse queunt, si plura ea sunt, ut detur in illis

Esse gradus quosdam, per quos concrescere possint
Dissoluiq; eadem,eq; alio primordia sumat
Ex ipsis aliud, nam quod sua semina ducit
Ex alio,non est reliquis id rebus origo.
Syllabæ enim uocem efficiunt,minime tamen ipsæ
Sunt uerborũ elementa,quod haudquaq̃ datur, ortum
Vt primo tradant hæ uerbis litteræ ut ipsæ,
Et neque in extremas oratio soluitur illas.
Syllabæ & ex ipsis uocum fiunt elementis,
Inq; eadem demum redeunt extrema solutæ.
Quapropter primis oratio manat ab illis,
Non etiam ipsæ sunt uerborum sillabæ origo.
Sic in principijs naturæ haud est elementum
Id corpus quo non contingit cuncta creari
Ex primo,aut in idem extremum resoluta redire,
Fitq; ipsum ex alio,inq; aliud se soluit abitq;,
Sed prima id prorsus genitis est rebus origo.
Atque elementũ,ex quo,ut dictũ est,concrescere primo
Cætera,in extremumq; resoluier omnia certum est.
Ipsumq; ex alio nequaquam semina ducit,
Inq; aliud nulla se se ratione resoluit.
At reliquis si prima quidem quis semina rebus
Plura elementa esse,hæc credat tamen ipsa creari
Inq; uicem solui,uera à ratione recedit.
Ni recte is dici in lapidem dissoluier undam,
Ac terram putet è ligno concrescere putri;
Sed lapides contra recte ex humore creari
Dicuntur,lignumq; in terram putre resolui.
Sic cum ex unda aer fit,nequaquam ille creatur
Ex humore, sed in lympham dissoluitur aer.

Quum uero fit aqua ex anima, non soluitur undæ
In naturam aer, ex hoc sed cogitur humor.
Ergo aqua cum fit, eam cócrescere ab aere certum est.
Atque hunc in lympham minime dissoluier, ipso
Contra, ubi fit, nequaquam anima ex humore creatur.
Laxando tenuem sed in aera soluitur unda.
Non ullum uero se uertere corpus in unum
Alterum idem dabitur, soluendo itidemq; creando,
Sed quodcumq; aliunde creatur, constat id ipsum
In corpus, dissoluendo non ire creando.
Quod se soluit in alterum, id ipsum rursus ab illo
Concrescens non se soluens prodire fatendum est.
Quapropter nequeunt elementa, nec ulla creari
Mutuo, & hæc eadem se se inter corpora solui.
Quod si elementa ortis reliquis sunt semina prima
Corporibus, nequeuntq; inter se se illa uicissim
Concretu fieri, atque in idem resoluta redire,
Atque omnes concretæ res cunctæq; solutæ
Posteriores iis sunt, ortus unde creatæ
Duxerunt illæ, atque in quæ rediere solutæ,
Haud dubio apparet, quod supra ostendimus, illud
Esse elementum, ex quo rerum concretio primo
Atque in quod postremum fit resolutio, & ipsum
Concretum non est, nec quod dissoluitur unq̃.
Quare his quæ haud dubia et clara ratione probantur
Perspectis, uia certa patet, qua nosse elementum
Principiumq; datur, quo rerum copia manat.
Nam cum naturæ quæsitis partibus, illud
Compertum fuerit corpus quo cuncta creantur
Ex primo, & quod in extremum omnia dissoluuntur,

Hoc elementum esse,& cunctis hinc semina duci,
Corporibus certo liquet,& res indicat ipsa.
Ergo creandi quod præstat primordia corpus
Et dissoluendi finem uideamus,ut illud
Principium exortis detur genitabile rebus.

Id uero hac in re ualde est dubitabile,an ignis
Cuius materia apparet tenuissima,primis
Sit ne ex corporibus, prima est ut quatuor inter
Corpora decretum,quando concreta per ipsum
Ignem præcipue dissolui corpora certum est.
Atque id magnopere est mirum, posuere quod ignem
Corporibus primis ex illis quatuor unum;
Quod minime liquet an natura est præditus ignis
Corporea; ac magis est illud dubitabile num sit
Corpus,q̃ primis unum si ex quatuor illis.
Quare est noscendum in primis,corpus ne sit ipse
Ignis ut & tellus undæq; & liquidus aer.
Ac talis prorsus natura est corporis, insint
Vt species illi quæuis, hærendoq; se illic
Contineant & sit speciei subdita prorsus
Materies cuiuis,corpus quam sumpsit id ipsum.
Porro quicquid inest natura corpori, & illi
Insidet, haud corpus species sed corporis hoc est,
Corporeamq; esse speciem haud pote corpus eandem.
Ac noua naturæ cum forma accesserit ipsi
Corpori,ab hoc prior euanescat forma necesse est;
Nec ratione queunt ulla subiecta in eadem
Materia incolumes distinctæ existere formæ
Rerum,quis uarius naturæ contigit ortus.
Sæpe autem incertis penetralem cernimus ignem

Corporibus, rutilo quoties ardere calore
Contingit ualidas quercus, ferriq; metalla,
Et salices duros, nanq; hæc cum feruidus ardor
Afficit, & ualido ignescunt correpta uapore
Sunt eadem nec ab igne prior sublata recedit
Forma illis, ac non ignis sed ea ignea fiunt;
Atque ignis non ut naturæ propria forma,
Certa sed ut species est ipso in corpore inhærens,
Dum natura illic alia est quæ in robore tosto
Insidet aut ferro, uel in his quæcumq; colorat
Ardor, & irrepens ignis color aureus ambit.
Non etenim una dari poterit, quod diximus ante,
Materia ut teneat naturas subdita binas.
Ergo cum ipsius talis natura sit ignis,
Vt certo insideat cui sit sua corpora forma,
Quodq; sua consistat ui, liquido patet ignem
Nequaquam corpus speciem sed corporis esse;
Nec constare sua per se ui posse, sed ipsum
Omnino certis hærendo in rebus inesse;
Et quoduis propria corpus constare necesse est
Natura, & certa per se consistere forma.
At uero si qui non hunc quem cernimus ignem
Esse id contendant primum genitabile corpus,
Sed procul à nobis alia in regione locatum;
Quam nequeunt sensus mortales cernere, & illum
Ignem elementũ purum esse, & super omnia simplex;
Id posse haud ullo certum est contingere pacto,
Quandoquidem certum si usquam esset corpus, idẽ esse
Nulla alibi posset ratione quod accidit ipsi
Corpori, & à nobis species quod dicitur hærens;

Quod minime in rerum natura sit dare quidquam
Quod certum per se se alibi sit corpus, idemq;
Sit species alibi subiecto in corpore inhærens,
Quare omnino ignem corpus non esse fatendum est,
Quod speciem constet subiecti hunc corporis esse.
Nec pote corporeum est ullis regionibus ignem
Ardere, & celsi subter noua mœnia mundi
Hoc elementum esse, ac uana est ea fabula, mentes
Implicitas longis cæcas ambagibus urgens.
Nec magis id uera ductum à ratione putandum est,
Quam cœlo aduectum terris, fictoq; dedisse
Mortali infusam uitæ primordia flammam;
Tempore quo primum delato ex æthere fertur
Incaluisse suo tellus defecta uapore;
Et uafrum aerias ausum conscendere sedes
Et Phœbi proprius flagrantem accedere currum
Subduxisse ferunt cœlesti ex arce Prometheum,
Fomite seruatum arenti, optatumq; tulisse
Aethereum cassis terreno gentibus ignem.
Ac dum naturæ rationem quærimus, illud
Valde aduertendum est, illos quod conuenit inter
Arcanos sueuere ortus qui exquirere rerum,
Naturæ ipsius rationem rebus ab illis
Præcipue duci, sensus quas indicat, hæcq;
Certa est è sensu ratio quæ redditur ipso.
Sensus enim sic cuncta trahit, sic cernit aperte,
Vt facile nequeant ea quemquam fallere quæ sint
Sensibus exposta, & cunctis hoc cognita pacto.
Ergo longe illi uera à ratione uagarunt,
Quis late ex ipsis apparet sensibus, ignem

Nequaq̃ corpus, ſpeciem ſed corporis eſſe.
Corporeumq; illum, & per ſe conſtare putarunt;
Quod ſentire illis nuſquam nec contigit ulli.
Quapropter certum ſi eſſet uis ignea corpus,
Ante oculos cunctis obuerſaretur id ipſum;
Præſertim ex primis ſi eſſet genitalibus illis
Ac neque ſemotum à nobis ſed ſenſibus eſſet
Obiectum, & facile attactu, paſſimq; pateret,
Tellurem ueluti atque humentem cernimus undam
Corporibus conſtare ſuis, ipſumq; liquentem
Aera, non facile quamq̃ ſit uiſilis ille.
At ne quis proprie flammam eſſe exiſtimet ignem,
Corporea cum ſit ſpecie, quod corpora quæuis
Verberat oppoſita, atque ex his reflectitur illa,
Igni propterea certum contingere corpus,
Oſtendemus quo pacto ſit corporis ignis
Subiecti forma, quiddamq; quod accidit illi,
Ipſius ſeu dura ignis, tenuiſsima ſeu ſit
Materies, qualem aſpicimus contingere flammæ.
Et cum craſſa quidem ſint ignea corpora, quale
Aut lignũ, aut ferrũ, aut ea ſunt quæ diximus horũ
De genere, haud dubia conſtat ratione probari
Certi quin habeat naturam corporis illa
Ignea materies, ut ligni aut æris, et ipſum
Illius ſpeciem certi fore corporis ignem;
At cum materia eſt ipſius tenuior ignis,
Hoc eſt candenti rutilans è corpore flamma,
Ipſe etiam eſt ſpecies cuiuſdam corporis ardor,
Idq; ipſum conſtat genitali ex aere corpus.
Quo tamen id fiat pacto tibi noſce licebit



Cum flammam aspicies orientem, utq; excita surgat,
Et tremulum ardenti splendorem ducat ab igne;
Nam cum materiam quamuis ita corripit ardor
Igneus, ut flammæ candentes excitet undas,
Illam dum penetrans ignis depascit, id ipsum
Ardendo in tenuem dissoluitur aera corpus,
In uentosq; abit, & teneris coniungitur auris;
Is uero ardenti fulgens qui è corpore prodit
Spiritus, ut primum aeris exhalatur in oras
Igneus, & tremulo rutilans est flamma nitore,
Mox anima à reliqua circum quæ effunditur, ille
Exceptus, calidam quæ inerat uim deserit, & se
Frigerat, in mollesq; auras flamma ipsa recedit,
Et color undantis remanet fumi, aera donec
In purum uapor, & nitidas dissoluitur auras.
Sæpe etiam haud flammæ specie tenuissimus aer
Ipse sed ardenti fumus de corpore prodit,
Quum minus arescunt quæ feruidus ardor adurit;
Aereq; è tenui constat qui emittitur ipso
Halitus ardenti de corpore, seu color ater
Sit caligantis fumi seu flamma coruscans.
Quapropter corpus per se non esse fatendum est,
Sed speciem certam subiecti corporis ignem.
Atque ea materies, cui ut diximus accidit ardor,
Corporis est certi semper, seu crassior hæc sit
Vt lignum ac lapides ac uis durissima ferri,
Aut leuis, in flammas ut surgens spiritus, ardens
Quem calor exhalat tenuesq; resoluit in auras.
Ii quoq; qui uacui nascuntur in aeris oris,
Inq; illa apparent ignes regione micantes,

Post modo quo fiant pacto ostendemus, & apte
Dicemus, quæ uis, & quæ natura sit illis.
Materies tamen omnino est his spiritus, acris
Vt flammæ, puroq; accenso ex aere constant.
Vt cum flammanti contingit lumine cœlum
Ardere, ac facibus subito fulgere coortis,
Accendiq; cauas nubes, ductaq; repente
Fulminea aerias auras splendescere rima.
Aut cum terribili ui candens fulminis æther
Emittit tremulo flammas fulgore coruscas;
Vnde homines tacti pereunt, armentaq; passim
Exanimantur, eoq; ruit cum murmure, ut ipsas
Conquasset turres, auellat tigna, domosq;
Disturbet, ualidoq; altas petat impete syluas,
Nec duræ obsistunt quercus, innoxia tantum
Virginea ingenti seruatur laurus ab ictu.
Ergo ardet rutilisq; nitescit ab ignibus aer,
Igniuomaq; micant accensæ lampade nubes,
Et passim uolucres uoluuntur in æthere flammæ.
Quapropter quoniam manifeste ostendimus ignem
Corpore nequaquam constare, undasq; liquentes
Et grauidã tellurem haud esse elementa, uidendũ est,
An ne unum sit rerum elementum, idq; unicus aer,
Illeq; corporibus cunctis genitalis origo.
Quando præterea corpus non cernimus ullum
Principium dare gignendi, sed corpora ab illo
Produci, & reliquis hinc esse exordia rebus.
Ergo aer per se si tale est corpus, ut ullum
In corpus se se aliud non soluat, & ipse
Nunquam concrescens quouis ex corpore fiat,

Sed soluendo; liquet non unq̃ posse creari
Aera nec solui; atque ideo quæ cuncta creantur
Inq; aliud se se dissoluunt corpora, ab illo
Principio fieri, rerumq; hunc esse elementum.
Sed dubio procul & manifesta in luce uidemus
Corpora dum quæuis soluuntur, in aera uerti
Hæc eadem, corpusq; dari non amplius ullum
In quod se se aer idem dissoluit, in ipso
Sed dissoluendi extremo contingere finem.
Nullo autem pacto solui magis omnia certum est
Corpora, quam rapida ui ignis tenuiq; calore.
Idq; uides latera undantis cum lambit aheni
Ignis edax, ut lympha acri penetrante calore
Commota, in teneras feruendo soluitur auras,
Nec spatio angusto capiens se se amplius, alte
Permistas uoluit bullis crepitantibus undas;
Quodq; illi à calida sensim ui demittitur, udo
Cum fumo in tenuem uolitans se se aera soluit.
Ipse etiam pater oceanus qui amplectitur amplam
Tellurem & late in uastum diffunditur æquor,
Quod gremio innumeros fontes, & flumina tellus
Quot parit immenso capit, haudquaq̃ additur illi
Humoris quicquam, nec aquæ fit copia maior,
Sed dum flammifero ferit ipsum lumine Phœbus,
Verberibusq; quatit radiorum, uritq; coruscis
Ignibus, exsiccat rapido soluitq; calore
Lympharum quidquid salsas maris influit undas,
Aeraq; in purum, & liquidas id uertit in auras.
Sic etiam ingentem statuit cum euertere syluam
Agricola, ut possit curuo proscindere aratro,

Atque apta uberibus noua reddere frugibus arua,
Hanc ualida cedit primum sternitq; securi,
Inde ardens rapido flagrat cum Sirius æstu
Fragminibus rutilum congestis subijcit ignem,
Qui tenues primum frondes, atque arida pascens
Virgulta, in ramos elapsus robora dura
Corripit, arboreamq; struem populatur, & omnem
Inuoluens flammis syluam, furit undiq; cælo
Candentes undas mista caligine tollens;
Isq; ubi desæuit late, uictorq; per imas
Irrepsit quercus, iamq; acri pabula desunt
Ardori, & minuunt paulatim incendia uires,
Materies ingens, magnæq; cadauera syluæ,
In cineres partim uentis agitanda recedunt.
Inq; animam reliquas, et uolucres soluuntur in auras.
Non ne uides etiam si forte incautus arator
Condidit, aut madidas paleas aut humida prata,
Pabula defessis hiberno in tempore bobus
Quo paret, incaluitq; humor, penitusq; repostis
Fit mucor stipulis, tetrum qui exhalat odorem,
Extrahat ut magnis putrem fœnilibus ille
Congeriem, latum in campum, flammaq; uoraci
Corripiat, circum incipiens quæ lambere sensim
Irrepit, penetratq; intra, atque incendia late
Dissipat, inq; leues uentis glomerantibus auras
Intima depascens cum fumo uoluitur atro,
Quiq; erat è paleis modo mons absumptus ab igne
Quantum non cinis exiguus fit, se aera soluit
In uacuum, & leuibus miscetur spiritus auris.
Nec non & puluis flammis uelocibus esca

Sulphureus rapidos quo nil uiolentius ignes
Concipit et longe mista caligine differt,
Tormento immissus flammaq; arreptus, in atram
Soluitur aeriam nebulam, spatioq; receptus
Angusto in tantum conuertitur aeris, ut se
Impete cum uasto late diffundat in auras,
Ac solida igniuomo pila ferrea clausa colubro,
Vis animæ erumpens illam cum ferrea torquet,
Ocyor & uentis rapidis, & fulmine fertur,
Vnde altæ nubes, & liquidus intonat æther,
Et grauis horribili quatitur terra ipsa tremore;
Quin etiam ualido sternuntur mœnia ab ictu
Sublimesq; ruunt uastis cum turribus arces.
Quod sæpe antehac, & licuit nunc cernere magnus
Cum pia bella mouens, & iusta accensus ad arma
Carolus undisonum constrauit nauibus æquor,
Et geminæ hesperiæ collecto flore suisq;
Germanis Lybiæ uenit sitientis ad oras,
Prædonumq; ducem immanem qui è sedibus Afrum
Expulerat regem patrijs, sceptroq; potitus
Per populos late uictor regnabat, & urbes,
Et Turcas socios Tuneti compulit intra
Mœnia se clausis trepidos defendere portis.
Hic liquido patuit, claustro resolutus aheno
Spiritus erumpens quanto furit impete, & in quod
Se se ingens quali uertit cum turbine corpus,
Cum turrita arcis moles quæ ingentia circum
Stagna refusa mari pelagusq; attollitur ipsum,
Aggeribus ualidis uallata, atque ardua latis
Mœnibus, antiquæ urbis propugnacula magnæ

Terrificos passa est ictus quos ænea monstra
Fuderunt, celsas quatientes murmure nubes;
Emissi uisa est uis ingens aeris illa
Fulmineas deferre pilas, atque omnia late
Proruere, & solidas ualide prosternere turres,
Multa uirum subdens decussis corpora muris.
Ipse uidebatur uiolentis ignibus aer
Ardere, & crassa impleri caligine cœlum.
Arx crebro icta ruit, passimq; impulsa fatiscunt
Mœnia, præruptasq; implent labentia fossas.
Infima quassatur tellus, tonat arduus æther,
Africa terribili tremit horrida terra tumultu;
Vi tanta erumpit clausus dum soluitur aer.
Magnopere hic ingens potuit uis aeris illa,
Et uis dura uirum per aperta pericula cæco
Pectore, & intrepide per funera certa ruentum.
Præcipue tamen enituit memoranda parentis
Aetherei pietas, dextro qui lumine gentem
Aspexit, fouitq; piam dum ad prælia uires
Addidit, atque animos sceleratum accendit in hostem,
Oppressus ualidæ qui inuicto robore turmæ,
Deficiensq; animis, dat laxis turpia habenis
Terga fugæ, nec iam se pugnæ credidit ultra;
Innumeroq; licet stipatus milite, uires
Expertus ualidas, & nescia pectora uinci
Per deserta pauens, & siccas fugit arenas.
Ast urbem ingressus ducens uictricia Cæsar
Agmina fœdifragi fera pectora contudit hostis;
Et patriæ eiectum regem solioq; reponens,
Extremosq; suum peruulgans nomen ad Afros,

Reddidit imperio Pœnorum regna latino.
Sed longe incepto diuertimus, inclyta magni
Cæsaris, hesperijq; iuuat dum facta referre
Militis, & tanti successum extollere belli;
Dumq; ex accensi ui ingenti ostendimus atri
Pulueris, in tenuem ut se se aera corpora soluant;
Id uero haud dubia constat ratione, patetq;
Ad sensum, & liquido manifesta in luce probatur.
Quod superest, anima ostendemus corpora eadem
Produci, atque ipsum rebus solum esse creandis
Aera principium cunctis certumq; elementum.
Hanc uero hoc poteris rationem noscere pacto;
Res inter genitas, certum est existere primas
Vndam, ac terram; quas etiam, quod cætera gigni
Corpora cernebant ex his, elementa putarunt.
Et tamen ex anima manifestum est illa creari;
Namq; liquens ipso concrescit ab aere lympha;
Hæc etenim cum se densando colligit, humens
In corpus coit, atque in stillas cogitur udas;
Tum liquidis passim conuexi ex ætheris oris
Labuntur teretes depressæ pondere guttæ
Ad terram, pluuioq; madescunt omnia rore,
Concretoq; ferax perfunditur aere tellus.
Atque ipsum aspicimus post cœlum sæpe serenum
Aera turbari subito, totumq; coortis
Nubibus obfundi, atque imbres effundere largos,
Quis perfusa madet tellus, siccasq; liquenti
Aethere delapsam per uenas concipit undam.
Præterea stillas setis quæ è mollibus ora
Ad bouis exiguæ pendent, ex aere constat

Concreto gigni boue qui ſpiratur ab ipſo,
Dum coit in guttas flatus, lymphamq; fluentem;
Præſertim riget hiberno cum frigore cœlum.
Ergo ex his conſtat, concretus ut ipſe liquorem
Spiritus in fluidum, atque in ſpiſſas uertitur undas.
Quod uero oſtenſum eſt in lympha, cernitur ipſa
In tellure etiam, & ſi non tam ſæpe coacto
Vt craſſum corpus genitali ex aere fiat,
Cum lapſa è cœlo guttis pluit illa cruentis,
Concretiq; rubet per campum ſanguinis inſtar;
Hinc pauor ille rudis uulgi crudelia adeſſe
Fata rati, exitiumq; illinc mortalibus ingens
Portendi, attoniti quod non contingere crebro
Id uideant, & mira pauent, humiliq; frequentes
Cum prece ſolemnes adeunt, & uocibus aras;
Prodigiumq; atrox credunt, lacrymisq; piandum.
Quare anima è tenui terram concreſcere certum eſt;
Quapropter quoniã humẽs lympha atque arida tellus
Quæ reliquis liquido patet eſſe priora creatis
Corporibus tenero concretæ ex aere fiunt,
Haud dubie conſtat, rebus certum eſſe creandis
Aera principium reliquis unumq; elementum
Corpora quo è primo genitalia cuncta creentur.
Sed iam de cœli natura nobilis illa
Arduaq; & late per magnas diſſita gentes
Quæſtio tractanda eſt, eiuſdem an corpus id ipſum
Sit naturæ, atque id genitis quod diximus unum
Principium fore corporibus rerumq; elementum,
An ne ſit ex anima cœlum, ex illoq; creatum
Principio, an conſtet per ſe, ingenitum inq; creatum

D



Sit prorsus, nullisq; unq̃ mutabile seclis.
Naturæ ipsius penetramus ad intima, summis
Perquisita diu ingenijs, auideq; petita.
Tu mihi tu cœliq; parens terræq; repertor
Tantum opus, & prima da certa ab origine mundũ
Pandere; tu uires tribuens ingentibus ausis,
Ignarumq; uiæ tua per uestigia ducens,
Discute mortales tenebras, & pandere ueræ
Da rationis iter, radijsq; offunde supremi
Numinis, unde rudi spiretur flatus auenæ.
Antiqua & longis uulgata est undiq; seclis
Corpore de cœli ratio, cunctisq; recepta
Quorum animos sophiæ perdulcis perculit ardor,
Quod sit natura constans minimeq; caducum,
Et quod non ullo ualeat mutarier æuo;
Corrumpatur enim prorsum intereatq; necesse est
Quicquid mutatur, nec statu constat eodem.
Ast id quod nunq̃ afficitur, sed par sibi durat,
Et semper simile est, non ui corrumpitur ulla,
Sed persistit idem, atque omne immortale per æuum.
Per longa est uero obseruatum secula, sicq;
Res habet omnino, spatijs ut semper eisdem
Moleq; sol fuerit rutilans, & candida Phœbe,
Et reliqua immenso radiant quæ lumina mundo;
Tempore nec quicq̃ accessisse his corporis ullo
Detractumue aliquid cunctis tum prorsus eandem
Luminibus speciem & primum mansisse tenorem;
Atque id tum cuncti affirmant, tum sidera nusq̃
Immutata aliquo compertum traditur æuo;
Quare ex perpetua qua corpora semper eadem



Mensura ac specie ut certum est cœlestia constant,
Decreūnt naturam his non mutarier unq̄.
Præterea è motu rationes sumere quidam
Cœlesti atque alias tentarūnt tradere causas,
Quis liqueat cœlum esse aliud differreq; rebus
A` reliquis longe,& quod non mutetur,idemq;
Permaneat semper,cunctis præstantius unum
Quis tenor haud certus nec status contigit idem.
Maxime enim cum sit perfectus motus in orbem
Quod sic cunq; agitur natura corpus,id ipsum
Corporibus dicunt reliquis præstare,feruntur
Quæ recto per se motu sursumue deorsumue;
Atque ipsum circunduci uoluiq; suapte
Natura cœlum,diuerso cætera motu
Corpora sustolli leuitate aut pondere labi,
Cum tamen hæc uni nequeant contingere cœlo,
Quod minime sursum recta ferriue deorsum
Sed suo agi tantum motu contingat in orbem.
Propterea q; ipsum propria constare,aliaq;
A` reliquis fore natura,differreq; longe
Corporibus,uarie quæ obitu mutantur & ortu.
Præterea nunq̄ cœlum corrumpier ipsum
Posse,creatumue haudquaq̄ genitumue fuisse,
Quod rebus reliqua ex aduersis omnia constet
Corpora produci,atque eadem in contraria solui:
Cœlestis uero naturam hanc corporis esse
Non ullum ut corpus queat aduersarier illi
E quo uel primos ipsum deduxerit ortus,
Vel quod in extremum possit tandem ire solutum,
Quod natura inter se se contraria quæuis

Motibus aduersis omnino corpora agantur,
Altera dum tendunt in præceps, altera surgunt;
Cœlesti autem cui proprium est ut agatur in orbem
Motui sit minime motus contrarius alter,
In rectis ueluti contingit motibus, ut sit
In præceps motus surgenti aduersus, & illi
Is qui sursum agitur pugnet contraq; feratur,
Quod detur nequaq̃ ipsa in uertigine, quæ sit
Talis ne motus sit ei contrarius ullus.
Sic itaq; ex motu quo moles illa rotatur
Corporibus cœlum censent differre, proculq;
Distare à reliquis mundi quæ ad summa feruntur
Natura motu recto, aut labuntur ad ima,
Et quæ mutari passim, & corrupta renasci
Inq; aliud transire liquet semperq; nouari,
Propterea q; esse haudquaquam mutabile cœlum,
Cui natura insit non unq̃ obnoxia fini.
Qualia sint ergo hæc uideamus cuncta, priusq;
De specie est illud constanti ac mole uidendum,
Quis cœli statuere orbes constare profundi,
An ne ideo hæc liqueat non immutarier unq̃.
His uero in rebus quis non miretur, & alto
Non putet ac longo oppressos statuisse sopore
Talia de prima nascentis origine mundi
Solertes tot patrum animos, errasseq; uera
A ratione procul, quæuis dum æterna putarunt
Ex spatio ac forma longo constantibus æuo
Corpora, nec proprium hæc unq̃ uariare tenorem?
Quæ si certa putent, plura hoc terrestria pacto
Corpora constarent non ulli subdita labi,

Quæ longum specie ac mensura prorsus eadem
Inconsumpta manent, hæc sed tamen omnia certũ est
Vi quauis correpta sua decedere forma,
Aut ualidis tandem corrumpi uiribus æui.
Nam duri quamq̃ silices frangantur, & aurum
Succumbat ferro rutilans, atque igne liquescat,
Sæpe tamen manet his eadem natura, suoq;
Persistunt longum statu, formaq; per æuum.
Et fragiles conchæ durant quandoq;, proculq;
Vndarum rabie integræ seruantur, & illas
Non etiam crescens circum uis saxea mutat.
Sæpe etiam molli durata coralia cœlo
Et nitidas constat longo post tempore gemmas
Non immutari; & sanguis quem mitigat hirci
Non longinqua modo potis est excedere secla,
Sed ferro haud unq̃ cedit nec uincitur igne
Indomitus uiuaxq; adamas, ac permanet idem.
Sic & naturæ ars imitatrix plurima monstrat
Quæ ualeant longas seclorum uincere metas.
Sæpe etiam tenui ex argilla cernimus urnas
Annorum contra illæsas persistere cursus;
Quin & maiorum spiranti è marmore uultus
Et fabre incisos lapides grandesq; columnas,
Pluraq; de genere hoc quandoq; excedere longam
Annorum seriem, nec tempore labier ullo.
Hæc tamen extingui ut quæuis terrestria certum est,
Et ueniente suo solui tantum omnia fine.
Ergo quod forma & spatio cœlestia certo
Corpora constiterint longũ haud mutata per æuum,
Non ideo efficitur certo ne tempore solui

Mutariue queant, haud unq̃ ſubdita leto,
Quandoquidem ſæpe annoſis q̃plurima ſeclis
Corpora permaneant eadem, cum hæc lædier ulla
Vi non contingat, nunq̃ ue affecta nouari.
Quæ uero immenſo torquentur ſidera mundo,
Par fuit ut puro conſtarent corpore, longum
Manſuro, & tali quæ eſſent motuq; locoq;
Diſpoſita, afficerent ne ſe ſubito, atque uiciſſim
Conflictarentur, ſed longos ſerius annos
Durarent eadem, quo perfectiſſima mundi
Ipſa diu moles ſtatu duraret eodem.
Quare quod certo haud mutatur tempore quodam,
Nequaq̃ certum eſt id non mutarier unq̃.
Nam complura quibus prorſum eſt mutabile corpus
Nil mutata diu manſura in ſecula durant.
Ergo quod ſpatio obſeruarint ſidera certo
Incorrupta diu, & forma perſiſtere eadem,
Non ideo efficitur, ne ſit mutabilis unq̃,
Et nuſq̃ cœli natura obnoxia fini.
Quod ſupereſt nunc de motus ratione uidendũ eſt,
Anne ſit immenſum minime mutabile cœlum
Infima mutari quæuis ut corpora conſtat.
Idq; animaduerti in primis noſciq; neceſſe eſt,
Non eadem cœli corpus ratione rotari
Cætera qua motu recto ſurguntue caduntue;
Quandoquidem rectum non ullis cernimus eſſe
Corporibus motum, quæ etiam per ſe altero aguntur
Nequaq̃ recto, ut motus in corpore eodem
Natura prorſus uarios contingat ineſſe;
Propterea haud fieri ne cum uertigine rectus

Esse etiam nequeat cœlesti in corpore motus ;
Vt quoduis recta aut sursum leuitate feratur
Aut ruat in præceps depressum pondere corpus,
Et plerisque etiam motus, quod diximus, alter
Ex ui corporea & forma cuiuslibet insit,
Cum rectus minime ex forma sit corporis ac ui,
Sed leuiore idem aut grauiore ex pondere constet,
Quod subiecta in materia consistere certum est.
Quare ex ui propria cœlum formaq; rotatur,
Corpora cum recto contingat cætera motu
Ipsa ex materia & ducenti pondere ferri.
Et cœlum præter nonnullis motus in orbem
Aut alius q̃ rectus inest, natura sua ui
Quem facit, & proprio subiecto in corpore forma,
Atque ideo propter motum haud differre putandũ est
Natura cœlum à reliquis quæ tempore tandem
Mutari liquet, & mortali lege teneri.
Quod uero præter motum qui ex pondere constat
Atque ex materia altero item non ulla ferantur
Ac proprio magis, & formali corpora motu,
Naturæ propria ui ex multis nosce licebit,
Omnia quæ dulci musæo intincta liquore
Pandere suauiloquo complectens carmine pergam.
Non ne uides, signans ad solem ut ferreus horas
Cum magnete stylus libratus uertat ad aerem
Se boream, propria ui illum certaq; ferente
Natura, geminasq; inter transuersus Eoi
Occiduiq; horas, signo consistat eodem ?
Ille idem in rabido est deprensis æquore nautis
Dux iter ad tutum, certusq; errantibus index,

Tempestas cum cæca diem, solemq; fugauit;
Aut ubi per noctem fulgentia sidera nubes
Et fidas tenebris abdunt pallentibus arctos,
Ipse uiæ regit ignaros, cursumq; per undas
Dirigit incertas, propriæ dum semper eodem
Vi naturæ actus certa in regione locatur.
Idq; etiam in rapidi miro est cognoscere motu
Fulminis, in supera quoties regione uagatur
Spiritus ille furens, cœli qui cærula templa
Impete percurrens magno perq; æthera circum
Versabundus agens uacuis late intonat oris,
Horrendumq; fremens obtutuq; ocyor ipso,
Aera per liquidum uolitans bacchatur, & auras
Diuidit obstantes, atque obuia nubila tranat;
Sæpe etiam ingenti petit idem murmure terras,
Pertenuiq; licet sit corpore, densa fragore
Robora terribili, annosasq; à stirpe reuellit
Et ualido quercus perfringens dissipat ictu;
Excelsasq; arces, & summa cacumina tactu
Disijcit, hucq; ruens atque illuc turbine uasto
Fertur, & horrisono conuoluit cuncta tumultu,
Talis inest illo natura in corpore motus.
Non ne sua ui etiam, & propria uertigine ferri
Aspicimus uentos, quoties se se impete miro
Conglomerant, terrasq; rotanti turbine uerrunt,
Idq; etiam fieri cœlo plerunq; sereno
Ventorum obstrictis reliquis perq; antra sepultis;
Vt liqueat tales nulla ratione suapte,
Sed tantum natura illis contingere motus.
Porro & legitimis sua uis est insita uentis

Quum uolitant rapidi, laxisq; feruntur habenis
Hac illac, magnoq; inter se prælia miscent
Concursu, & ualido complent cœlum omne tumultu;
Aequora quo uertunt motu atque è fluctibus imis
Eductam undarum tollunt ad sidera molem.
Hinc nemora elapsi in terras ac robora dura
Prosternunt, camposq; minaci murmure complent,
Quaq; ruunt flabris pernicibus omnia turbant;
Atque illis propriæ naturæ is motus inest ui;
Nam propria est illis regio, in partesq; feruntur
Quisq; suas, notusq; illas has tendit in oras
Africus, hinc auster, boreas hinc perfurit acer,
Atque alij terras eodem salsumq; profundum
Tempore, cœlum alij spatiosaq; nubila perflant;
Naturæ ut pateat propriæ ui quemq; moueri.
Præterea stellæ, noctis quas sæpe per umbram
Tranquillo aspicimus celeres excurrere cœlo,
Longius in girum tendunt, curuoq; feruntur
Flammarum ductu, donec soluantur eundo.
Quod si aliquandiu eodem perdurare tenore
Currendo possent, cœlum circum ire uagantum
Stellarum ritu tales contingeret ignes;
Sed licet in tenues soluant se se ocyus auras,
Quam uolitare diu tamen, & durare meando
Possunt, pars illis rectissima ducitur orbis,
Quare hos ui propria liquet impellente moueri.
Demum quæ cœlo fulgentia crinibus ardent
Sidera flammiuomis, errantum more uagantur,
Ac propriæ immensum circumducuntur olympum
Naturæ ui, atque æthereis spatiantur in oris,

Verum diuerso quo errantia lumina motu,
Præsertim quod signifero procul orbe feruntur,
Inque illam declinant partem qua ardua mundi
Vertitur ætherei sublimi cardine moles.
Ergo ferunt rutuli errantum se more cometæ,
Sed proprio ac uario q̃ illorum singula motu.
Quapropter multis quoniam ratione probatum est
Corporibus natura alium contingere motum
Cum recto qui ex materia ac pondere constat,
Atque ille alter non nullis est motus in orbem;
Nequaq̃ efficitur, cœlesti ut corpori inesse
Is tantum possit qui fit uertigine motus,
Sed liquido constat motum hunc uertiginis esse
Vi propria, eq; sua cœlesti in corpore forma,
Cætera ut ex motu prater rectum altero agantur;
Nec pote perpetuo rectum contingere cœlo
Motum ex materia atque ex pōdere, ut omnibus illum
Corporibus certum est reliquis genitalibus esse.
Quapropter rebus nil motum propter ab imis
Natura cœli corpus differre putandum est;
Atque ideo esse creatum cœlum itidemq; caducum,
Atque illi esse ortum reliquis qui est omnibus unus,
Principiumq; illud quod diximus esse elementum.
Iam uero id falsum est, positum in ratione quod ipsa
Est motus, cuncta ex aduersis corpora rebus
In lucem gigni, atque eadem in contraria solui.
Illud item, quiuis quod sic uertigine motus
Fiat, ut huic alius non sit contrarius ullus,
Nam late ostensum est undas atque aera primis
Corpora nequaq̃ aduersa ex affectibus esse,

Frigida quod prorſus natura atque humida utriſq; eſt
Et tamen è tenui manifeſtum eſt aere lympham
Produci,atque in eundem illam tranſire ſolutam ;
Ac etiam in girum motu contraria cuiq;
Vertigo eſt alia occurrens,contingit in ipſis
Motibus ut rectis cuiq; aduerſetur ut alter
Qui ſe illi opponit ſignoq; occurrit eodem ;
Sunt etenim aduerſi quos ſic occurrere motus
Euenit inter ſe,quod pugnent mutuo,& alter
Se occurſu alterius ſiſtat,nec liber uterq;
Fiat,& una ullo nequeant perſiſtere pacto.
Ergo non uera patuit ratione probari,
Materiæ non eſſe eadem primordia cœlo,
Corporibus reliquis ut contigit omnibus eſſe.
Clauſa igitur reſeranda uia eſt,inq; arcta latentis
Naturæ penitus ſubeundum clauſtra, nouisq;
Pandenda ipſius cœli eſt natura repertis,
Idq; ego dulciloquis exponens uerſibus edam.
Qui cœli corpus nullo immutarier æuo,
Aeternumq; & eodem perdurare tenore
Crediderunt ; huius ſpatia immenſasq; cauernas
In plures diuiſere orbes,qui ordine ſe ſe
Contigui ambirent,circum per mutua ducti ;
Nam uaga ſi per ſe,proprios nec tracta per orbes
Sidera ferrentur,uehemens contingeret ipſis
Singula inæquali uarians mutatio greſſu,
Semper nunc motu intenſo,nunc uecta remiſſo,
Curſus enim nunq̃ eſt ipſis æquabilis aſtris,
Sed ſemper celeri incedunt tardoue meatu ;
At uero cœli moles ſi immenſa profundi,

Complures illos non esset scissa per orbes,
Sidera quæ proprio ducuntur singula motu,
Per cœlum incessu se agerent conuersa suopte,
Atque ipsum quauis esset penetrabile mundi
Corpus,& huic tenor haud unquam persisteret idem.
Quapropter ne quis forte tranabile cœlum
Crederet,hacq; iter astris incedentibus esse
Proptereaq; solubile corpus, peruium inane
Materiaq; ipsum penitus constare caduca;
Constituere suis affixa uaga orbibus astra,
Qui se perpetuis ducentes motibus ijsdem
Fixa sibi ueherent per magnum lumina mundum,
Vt sic afficier nunquam cœleste daretur
Corpus eo se se pacto uoluentibus astris.
Ergo ut inæqualis motus,quo sidera duci
Cernimus,ipsorum auferretur ab orbibus,illos
Finxerunt tales,ut motu semper eodem
Se se agerent cum ipsa ut certum est palantia cœlum
Nunc celeri ambirent nunc tardo lumina gressu.
Porro ipsos orbes tales statuere,quibusdam
Vt medium haud sit idem cum mundi mole,alijsq;
Impar sit spatio ambitus,atque hinc crassior orbis
Illinc tenuior,ast alij sint corpore parui
Præ reliquis se uoluentes intraq; locati
Id spatium quo extenditur ambitus orbium ab imo
Mundi declinantum,insint quis singula paruis
Sidera quos graio dicunt sermone epicyclos.
Hoc uero positu qui constituere tot orbes
Tam uane,ex hoc cursus decreuere uagantum
Siderum inæquales constanti posse rotatu

Orbium agi,certumq; illos seruare tenorem.
Quapropter positis tam multis orbibus,illa
Prorsus inest ratio,quæq; ut mutatio ab ipso
Tollatur cœlo,constansq; id duret idemq;.
Sed nunc quod superest certa ratione probari
Res peteret, positos nequaquam posse per orbes
Tolli ne cœli corpus mutetur,& astris
Tales esse uagis motus,ut si orbibus illa
Ferrentur,naturæ ijdem mutabilis essent,
Atque ita mutari cœlum,positosq; liqueret
Ipsos nequicquam spatijs cœlestibus orbes,
Vel si mutari corpus cœleste daretur.
Præterea motu ex ipso cursuq; patere
Sidera nequaquam ferri uaga posse per orbes.
Demum sic esse omnino mutabile cœlum,
Vt non mutari id tantum, sed corpore in illo
Sæpe creari contingat quædam interimiq;.
Sed dum signorum incessus motusq; uagantum
Me iuuat,& miros naturæ soluere nodos,
Longe alios cursus alios mea perficit orbes
Mens agitata malis,acriq; exercita cura,
Cura, has æternis quæsitas uatibus olim
Quæ me tentantem naturæ accedere partes
Ad tristes uertit gemitus durosq; dolores.
Heu misero nimium at frustra sirenis amatæ,
Quæ nunc de patrijs demisso lumine portis
Incisum cari nequicquam nomen alumni
Desertasq; pijs spectat cultoribus ædes;
Conspicuas ædes,molli quas aurea dextra
Extruxit,nemorumq; uenus discrimine cinxit;

Illas non meritis fulgens duroq; labore
Aucta meo priscæ defendit gloria gentis,
Quin caput in miserum uastis surgentibus undis,
Fortunæq; minis dirisq; ultricibus acto,
Longe alio mutanda mihi sub sidere tellus,
Et dulces essent ignota sede penates.
Scilicet insignis pietas largusq; meorum
Effusus toties dilecta ob mœnia sanguis
Et pugnata illis magno pro Cæsare bella
Id meruere, omni nec me contage soluta
Texit, & egregias tot uita exculta per artes.
Felices nimium & fatis melioribus orti,
Mens sua quis satis est fluxæ non indiga laudis,
Et scelerum immunis nulliq; obnoxia culpæ
Est almæ tantum diues rationis, opesq;
Quas bona fert nullo genitrix natura labore,
Ingentes credit uitæ fugientis ad usum.
Nec terit angustas æui irremeabilis horas
Dum tenui capitur fallacis flamine uulgi.
Ante tamen felix cunctos qui noscere morem
Fortunæ, & uires potuit contemnere leti;
Ac solidos nunq̃ perituræ laudis honores
Et ueræ aspirat mansura ad gaudia uitæ.
Anxia non illum spes insaniq; dolores,
Solicitiue metus urgent aut gaudia uana.
At strepitum uulgi, cœtusq; exosus inanes,
Densa petit nemorum, siluisq; exquirit opacis
Sponte sua è ramis structas frondentibus ædes,
Commodaq; in specubus molliue cubilia prato.
Non illic facilem genitrix uberrima uictum,

Terra negat duro teneros è ſtipite fœtus,
Pubentiq; bonas thalo, & radicibus herbas,
Et natiua cauo ſtillantia pocula ſaxo;
Interdumq; illi ſocios ſi iunxerit idem
Sanctus amor, dubios pariter qui ſpernere caſus
Atque operam aſſueſcant uitæ mortalis inertem,
In terris ueræ alterius iam gaudia uitæ
Præripient, ueri ſpectabunt lumina ſolis,
Aethereasq; inter curas ſanctumq; laborem
Subducent alacres terrenæ pectora labi.
Illos non rigidi faſces iræq; tyranni
Externisq; inhians opibus uis barbara lædet,
Bellorumq; faces, emptaue in pace rapinæ,
Nec ius forte datum poterit pretioue repenſum
Inuictos animos & libera frangere corda.
Hæc ſe mortales dubijs extollere rebus
Et docuit uarios contemnere uita labores;
Hæc tot deuictis felicia pectora terris
Euexit cœlo, & fulgentibus intulit aſtris;
Hanc magni coluere patres cum dirus habendi
Nondum tartareis amor euaſiſſet ab oris,
Quò pius æterni moriens rex conditor æui
Impulerat, cæcisq; illum demerſerat umbris.
Hanc mihi tu cœliq; parens terræq; repertor
Viuere, dum feſſos animi uis roborat artus,
Da pater, & crebra quæ illam caligine condit
Aethereosq; hebetat ſenſus, hanc eripe nubem.
Tum uitæ unanimem ſociùm comitemq; laborum
Faſcitelum, irati rapuit quem numinis ira,
Redde meum. nil triſte illo durumq; recepto.

Ipſe tuam cœlo demiſſam uirginis aluo
Progeniem, canet ille duces, magniq; triumphos
Aualidæ, qui nunc uires orientis, & acrem
Impia compreſſit reparantem prælia Gallum.
Sed maris ignoti latum ſulcauimus æquor,
Et protenſa diu per uaſtos carbaſa fluctus
Iam malo adiungi poſcunt, portuq; carina.

FINIS.

SCIPIONIS CAPICII DE VATE MAXIMO

LIBRI III.

Quum nequeam ipſe tuo munus par reddere, grates
Et ſuper hoc noſtrum accipe iudicium:
Maximus ille tuus uates: tu Scipio, uates
Maximus: haud alio is uate canendus erat.

SCIPIONIS CAPICII DE VATE MAXIMO

LIBER PRIMVS.

EGregium iuuenem, terris qui numine missus
Diuino, æterni patefecit luminis ortum,
Surgentisq; cano ueræ primordia lucis.
Felix, conueniant operi si carmina tanto,
Inceptum, si par merito sublimibus adsit
Rebus honos, deturq; nouo deducere cantu
Laudes eximias uatis, quem prætulit ipse
Omnibus æthereus iudex mortalibus unum.
Tu mihi, perpetui quo lumina condita cœli,
Infima quo sidit tellus, & mobilis hæret
Collectus telluri humor, quo purior æther
In spatia effundit uasti se ingentia mundi;
Per mare, per terras, tenuisq; per aeris oras
Omnia qui uitam spiranti numine reples;
Aequæuum patri natum qui fœdere iungis
Aeterno, triplex unum quod numen adorat
Gens pia; qui rudibus sibi quos rex iunxit olympi
In terris comites radijs afflata repente
Ora tuis soluisti, & linguis edita centum
Vox eadem summi ostendit pia iussa parentis,
Et mira attonitæ gentes stupuere locutos,
Sancte ades, ignarumq; tuo da flamine pectus
Perfusum dignos ausis effundere cantus.
Est regio, sacris qua felix labitur undis
Iordanis, cultos agros, & pinguia late

Arida rigans, magno qui ausus contendere ponto
In mare se tumidus uasto bis gurgite pandit;
Grata Deo tellus, & uatum carmine clara
Aurea qui æterni cecinerunt sęcula regis,
Quam patriam legit, cum cœlo missus ab alto
In terris uitam, generis miseratus acerbos
Humani casus, uitæ instaurator agebat,
Septi pomiferis molles ubi collibus horti
Fragranti sudant felicia balsama ligno.
Hic æuum in syluis, atque inter lustra ferarum
Degebat, fluxæ fugiens contagia uitæ,
Materna iuuenis cœlo promissus ab aluo;
Qui reputans, satis in terris mortalia membra
Indutum; ueræ auctorem latuisse salutis,
Nec procul esse diem tenebras quo mente fugaret
Humana antiquas uerus semperq; nitens sol,
Assiduis liquidas implebat uocibus auras,
Diuini ostendens felicia tempora regni.
Illum mirati non unq̃ audita canentem
Audiuere colunt amplas qui nobilis urbes
Iudææ, lætos findunt qui uomere colles,
Quiq; bibunt Iordanis aquas; telluris auarus
Frugiferæ domitor, pecudesq; ad pabula læta
Atque amnem oblitus uitreum compellere pastor,
Molliaq; in nitidis qui ducunt otia tectis,
Et uarias uitam assueti exercere per artes;
Aetatemq; atrox contentus miles in armis
Conterere impauidam, glacie duratus & æstu;
Solertisq; animi quotquot diuersa cupido
Impellit uarijs studijs impendere curam;

Maturiq; ſenes,pueri,uiridiſq; iuuentus ;
Matres,atque nurus,primaq; ætate puellæ ;
Omnes conueniunt,ingensq; effuſa relictis
Vrbibus,ad iuuenem certatim turba ruebat .
Ille autem,ò miſeri quæ tanta ignauia mentes
Corripuit ueſtras ? cæci quo tenditis ? ò gens
Ignara,& propriæ tam longum oblita ſalutis .
Quid læti in mortem ruitis ? iam debita ueſtris
Criminibus uos pœna uocat,ſupremaq; poſcunt
Exitia,inſtantiſq; urget ſors aſpera leti .
Nec ueſtri miſeret,quos iam iam maximus atro
Supplicio uindex,& diro funere perdet .
Ecquis erit ſcelerum finis ? ueſtigia patrum
Fœda ſequi,& priſco iuuat indulgere furori .
O' genus inuiſum,quo non dignatus honore eſt
Vos opifex rerum,ingratos,& dura gerentes
Pectora,& inſanis furiarum fluctibus actos ?
Ille tamen nudosq; fouens inopesq; ſalutis
Complexus,cœliq; modo non luce carentes
Extulit,& rerum ſumma ad faſtigia uexit ;
Et formidatos populis,lateq; potentes
Imperio erexit,gentiſq; extendere nomen
Iuſſit,qua pelagus telluri obducitur,& qua
Igneus alternis uariat ſol corpora flammis .
Pro quibus ò quoties ſanctum reſcindere fœdus,
Vobiſcum magni pepigit quod rector olympi,
Impia gens auſi,atque illas contemnere leges,
Ille ſuo tabulis digito quas ſcripſit,in æuum
Riteq; ſeruandas dedit æternumq; colendas .
Quin etiam diuum fingentes numina uana

Mortales facies mutarumq; ora ferarum,
Fecistisq; deos, sacraq; locastis in æde,
Nil memores larga ille dedit q̃ plurima dextra,
Et dira immeritos quoties à morte reduxit.
Heu brutæ mentes; premeret cùm ægyptius olim
Elapsos duro imperio, è miseroq; receptos
Seruitio, angustas rubri cecidistis in oras
Littoris, & cursu trepidos hinc hostis agebat,
Hinc pelagi moles clausis obstabat, & omnis
Spes erat effugij spes omnis adempta salutis;
Quum subito insuetis assurgens uiribus Eurus
Naturæ impulsu domini rerumq; parentis,
Dispulit obiectas undas, atque intima uasti
Gurgitis ostendens penitus maris ima retexit;
Perpetui, mirum, fluctus scinduntur, & æquor
Fit uia per medium, geminaq; in rupe profundum
Substitit; inuadit pelagus tunc agmina Moses
Diuino iussu ductans, adigitq; pauentes
Per siccum gradiens, & apertas calcat arenas;
Iamq; fretum emensi terram littusq; tenebant
Aduersum, & tuta se se regione locarant,
Cum modo qui trepidos urgebat perfidus hostis
Diuino ignarus nutu pendere fluentem
Vim pelagi immotam, mutataq; fœdera rerum,
Mentis inops lucisq; carens ac percitus ira,
Qua petijsse fuga innocuos conspexit eadem
Persequitur scissi gradiens per gurgitis æquor;
Iamq; altum ingressi penitus maris ima subibant,
Natiuum cum sensit onus, sedesq; petiuit
Lympha repente suas, trepidantiaq; agmina pressit,

Vndarumq; ruens alto de gurgite moles,
Et letum una fuit cunctis eademq; sepulchrum.
Aethereum tantus potuit tenuisse parentem
Gentis amor uestræ, & pietas insignis auorum.
Ille idem hostili rabie, dominisq; superbis
Ereptos iterum dextro uos lumine uidit,
Cum nudas inter cautes, Arabesq; perustos
Vrgeret uesana fames, passimq; cadentum
Infelix ægros macies absumpserat artus;
Nulla aderat uitæ ratio, certumq; parabant
Ante oculos misere pallentibus omnia letum.
Tunc uobis liquido demisit ab æthere rorem,
Felicem rorem quem sudauere tepentes
Non tantum æstiuum sub solem molliter auræ,
Deflagrans late exurit cum sirius orbem,
Et tenuans se se arentes circumfluus aer
Destituit terras, & in æthera funditur humor,
Sed quum torpet hyems, nec terra refundit in auras
Obliqui solis radios, liquidumq; rigenti
Densatur glacie, & brumali frigore cœlum,
Orbe quaterdeno, dum notum perficit aureus
Sol iter, & certo percurrit signa meatu,
Fluxerunt cœlo uobis fragrantia mella,
Nec duro interea terram uertistis aratro,
Abductisq; opibus dominorum & diuite gaza
Ocia per steriles duxistis pinguia campos.
Et iam tempus erat quo magni conditor orbis
Has profugos sedes atque hos induceret agros,
Promissos uobis agros longumq; colendos,
Quum populus sacri ad ripam peruenerat amnis

Felicesq; auidi sedes, gremiumq; uidebant
Optatæ telluris, iter sed clauserat undis
Altior, & late ripis Iordanis abundans,
Diuinum imperium tunc flumen sensit, & undas
Compescens rapidas, dictu mirabile, sistit,
Et uada detecti monstrauit peruia fundi,
Visus & in nubem quo pacto argenteus altam
Præcipites glomerauit aquas, undisq; retortis
Vis fluida ingenti erexit se ad sydera mole.
Ipsa parens stupuit rerum natura, sub auras
Quid tantum æthereas liquidus se tolleret humor.
Illi, qua flumen toto defluxerat alueo,
Transmittunt læti ripas, campisq; beatis
Consistunt tandem, & terra potiuntur amata.
Cætera quid memorans rerum miracula narrem?
Hic quibus insignes fama populosq; per omnes
Vos mundi dedit esse sator, lateq; uerendos;
Quid referam bello domitos passosq; cruenta
Excidia, ingentes populos euersaq; regna?
Totq; triumphatos reges, tot parta trophæa;
Ipse animos uobis cœli dum sufficit auctor,
Ingentesq; addit tam multa in prælia uires?
At uos insanam induti gens impia mentem,
Artificis toties contempto numine mundi,
Supplicibus uotis dijs uanis thura dedistis
Impia, quorum aras ipsi delestis, & ædes,
Cepistisq; amplas cæsis cultoribus urbes.
Heu rationis egens, & ueri luminis expers,
Inuisumq; genus superis, obtusaq; corda,
Et semper surdas auersi uatibus aures.

Nil mouet aut uestri pietas, nil proxima culpæ
Vos pœna, aut ueterum exagitant expensa malorum
Supplicia, æterni terret nil uindicis ira?
Vipereum semen, patrumq; simillima proles.
An tumidos stirpis decus, & uos gloria magni
Reddit aui, patrumq; agitant pia facta priorum?
Num pater, è nullo eduxit qui semine mundum,
Has nequit Abrami in sobolem conuertere cautes,
Neglectumq; genus, populosq; optare relictos?
Ergo animos cœlo, & totas aduertite mentes
Quo uos ætherei poscunt promissa parentis
Heu terræ nimium defixi noxia corda.
Iam tremit admota mox collapsura bipenni
Arbos, ingentemq; dabit succisa ruinam.
Eia agite, ambiguas uitæ dum carpitis horas,
In meliusq; datur mentem ingeniumq; referre,
Ne illecebræ incautos miseræ, ne obliuia fallant
Vos recti, & fugiens Euro non segnior ætas.
Et tandem frenate animos, penitusq; malorum
Pœniteat, mentemq; atris auellite curis;
Linquite peccati morem, uitamq; priorem
Pertæsi, impuris abstergite funditus omnem
Pectoribus labem; summi sat numina regis
Contempta, & prauis indultum est undiq; uotis.
Iam lacrimis opus, & fletus effundere largos
Tempus, & humentes oculos intendere cœlo.
Mox diuina aderunt, felicis tempora regni,
Aeterniq; nitens pandet se luminis ortus,
Fulgebitq; dies, longos quæ attrita per annos
Colla iugo, & diro incipiet uos soluere nexu.

Auferet & priscæ terris contagia culpæ
Vltima quæ tanta sub luce nouabitur ætas.
Scilicet hæc olim promissa ingentia tandem
Accipiet, longumq; optato ducere uitam
Promeritæ genti dabitur sub rege beatam.
Vos igitur, tam læta manent quos tempora, summis
Viribus eniti par est, ut censeat inter
Selectos deus in regnum hoc, numerumq; suorum.
Et scelerum puri, terrenaq; labe piati,
Tota anima, & totis uenientem admittite uotis
Seruatorem hominum summus quem misit ab alto
Expectata pijs genitor promissa ferentem.
Sic sacer optati uates felicia regis
Tempora monstrabat populis, dictisq; frementes
Firmabat, uitæ accendens melioris amore
Iandudum accepta intentas diuina per aures
Vox cupidos multa spe animos, & corda replebat
Regem expectantum terris promissa ferentem
Mansuræ æternum securæ commoda uitæ.
Immitis uelut egregiam si cinxerit urbem
Hostis, defensamq; diu ui euertere captam
Festinet, miseros maneant dira omnia ciues;
Tum forte insignis fama si nuncius adsit
Missu expectati ducis, instructisq; reportet
Subsidio turmis illum iam iam affore, cuncti
Circunstant, gratisq; intendunt uocibus aures,
Et collapsa diu subita spe pectora complent;
Haud secus optata pandentem proxima regis
Secula suspiciunt uatem, lætiq; frequentant.
Res mira, eductum in syluis has edere uoces,

Et populum ingentem pendere loquentis ab ore,
Felices syluas uox tanti ubi reddita uatis
Impleuit colles, atque umbriferas conualles;
Felicesq; amnis lymphas, quibus abluit ille
Quos fœdæ docuit sordes deponere uitæ.
Præcipue felix uatum tu maxime, regi
Nuncius æthereo materna lectus ab aluo.
Iam tum ostendisti admirandæ signa iuuentæ:
Afflatæq; deo: sancto & me pectus amore
Perculsum, iuuat insignis cunabula uitæ
Atque tuas prima reuocare ab origine laudes.
Augustus late romanis fascibus orbem
Subdiderat, rerumq; unus retinebat habenas,
Dum terras coleret ueniens pax candida cœlo
Squalerentq; situ præduri militis arma,
Et rediisset honos contempto priscus aratro;
Rex fama Herodes opibusq; & cognitus armis
Imperio Solymos patriamq; tenebat Idumen;
Abiadas cum forte fuit iustissimus inter
Electus, sacra qui faceret quæ maximus olim
Isaides lectos iussit celebrare nepotes;
Cui fuerat uinclo coniux sociata iugali
Par uitæ meritis nulliq; obnoxia culpæ.
Non ulla his fuerat soboles, sterilisq; iuuentam
Altera, & utilius soboli traduxerat æuum;
Et iam sera illos grauiorq; oppresserat ætas,
Languidaq; exhausto torpebant membra calore,
Quum uiduam plorans alter tristemq; senectam,
Fundebat supplex imo de pectore uoces,
Cœlicolum regem tota sic mente precatus,

Ergo corripiet me lux extrema priusquam
Connubij fructus, & dulcia pignora noscam?
Nec nostri te damna thori, nec coniugis unq̃
Tanget honos, primis quæ in te spem fixit ab annis.
Tu pater omnipotens postq̃ primordia gentis
Humanæ dederas, statuisti fœdere sancto,
Coniugio genus ut coeat prolemq; propaget;
At nos hoc animos nequicquam & corpora uinclo
Iunximus, & tantum gestamus nomen inane.
Nostra tamen cedant diuinis commoda iussis,
Et maneat rata quæ fuerit tua cumq; uoluntas.
His senior cœlo figebat lumina dictis,
Concipiens prolis præsaga gaudia mente;
Quum pater æthereus nunquam uota irrita passus
Ire pia, & dextro spe fultos lumine cernens,
Supplicibus clemens admouit uocibus aures.
Ille autem de more sacri penetralia templi
Ingressus pia thura dabat, lata atria circum
Turba preces patri æthereo dum funderet omnis;
Quum subito halanti cœlestis nuncius aræ
Astitit, & dextra præsenti in lumine fulsit,
Humana soliti specie qua sæpe uideri
Cœlicolæ, quum iussa ferunt cœlestia terris.
Obriguere senis subita formidine membra,
Sydeream ut faciem radijs fulgere coruscis
Vidit, & ætherias fundentia lumina flammas,
Cui iuuenis, mentem reuoca, gelidumq; timorem
Pone pater, tua diuinas uox contigit aures;
Concipiet tandem coniux sanctissima, uobis
Quod fuit in uotis & supplex sæpe petisti:

Quæ postq̃ implerit felicis tempora partus,
Nascetur puer egregius ; quem læta ferentem
Secula uoce hilari excipient plausuq; secundo ,
Et cœlo magni tollent cunabula uatis,
Grataq; fundentes plenis munuscula dextris,
Omnia fausta illi dicent,atque omnia læta .
Hic,tibi qui uacua tristi cum coniuge in æde
Sæpe doles, sterilisq; incusas damna senectæ,
Gaudia quanta dabit,qualis felicia uota
Successus tanto uobis implebit in ortu .
Hunc,postq̃ de more aberit lux septima partus,
Nomine IOANNEM *dices,non ulla tulerunt*
Secula cui similem,ueniens nec uiderit ætas .
Magnus erit,poterit quem uix humana probare
Vox satis,atque sua sat digne extollere laude .
Testis erit meritis summo mens nata parente
Humani uindex generis cui terra fretumq;
Seruit,& immensi subdunt se lumina mundi .
Felix qui ex hominum supremi iudicis ore
Accipiet uitæ eximios insignis honores .
Non ille æthereos tardantia pocula sensus
Stulta coloratis bibet uuæ expressa racemis,
Contentusq; sitim pura restinguere lympha,
Non ullo sacris auellet tempore curis
Cœlestem nullo pollutam crimine mentem .
Hauriet & cœli nec dum spirabilis auras,
Cæca rudimenta,& tenuis dum munera uitæ
Materno ex utero captat,cum pectore toto
Concipiet sanctos diuini flaminis ignes .
Qui postq̃ in lucem ueniet,sanctæq; iuuentæ

In tacitis teneros syluis firmauerit annos,
Os populis sacrum soluet, patrumq; priorum
Oblitos longum natos pia iussa docebit.
Multorumq; animos labes quos polluit atra,
Iustitiæ aptabit rectiq; ad frena uolentes.
Sic magnus nondum ardenti trans aera curru
Aduectus uates meliores tesbius oras
Insanasq; tribus infandaq; crimina regum
Damnabat sancto fulctus pia corda uigore.
Hunc eadem accendet pietas, & spiritus idem.
Hic & supremo regi qui sanguine culpam
Humani antiquam generis letoq; piabit,
Præmissus, tantæ mortales lucis ad ortum
Conuertet, dignos reddens quos ille beatas
Dignetur sedes, numerumq; inferre piorum.
Dixerat, ille oculos diuina loquentis ad ora
Defixos mira perfusus luce tenebat,
Euentura minus reputans cœlestia dicta
Quo promissa magis uoluebat gaudia mente.
Rettulit hæc tandem, caræ si coniugis annos
Si numerem ipse meos, ambobus serior ætas
Et leto propior dulcis spem prolis ademit.
Fluxerunt gelido nobis de corpore uires;
Defectusq; suo sanguis coiisse uigore
In fœtum nequit, & teneros formarier artus.
At tu magna fide haud dubia da dicta probari,
Gaudia ne uiolet sperantum incerta cupido.
Ille autem, pater omnipotens quem robore fulsit
Diuino, è cœlo cernis mandata ferentem,
Implentemq; tuas lætis me uocibus aures;

Has mihi quod dubias præbes, prolemq; futuram
Et diuina petis signo promissa probari,
Signa dabo, & ne impune usq̃ non uera loquutus
Aethere demissus uidear; tibi signa negatus
Vocis erit linguæq; usus, mea tempore dicta
Euentura suo donec non uana probentur.
Hæc ait, & subito fulgentia lumina condens,
Et faciem æthereã, tenues excessit in auras.
Interea effusæ spatiosa per atria turbæ
Sacra obseruanti, mirum insuetumq; uideri
Illum adytis mora quod solis tam longa teneret.
Egreditur tandem, & se se expectantibus offert.
Conantemq; animi motus expromere, liquit
Nuncia uox mentis linguæq; interpretis usus.
Diuino agnoscunt afflatum numine pectus,
Diuinumq; aliquid mortali lumine, in æde
Conspexisse sacra. Ille licet se iusta uideret
Supplicia ambiguæ meritum persoluere mentis,
Spe tamen hac uocis damnum solatur ademptæ,
Expectans lucem quæ linguæ frena relaxet,
Atque optata ferat promissi gaudia partus.
Sic ubi telluri gnauus commisit arator
Semina, tristis hyems glacie dum sæuit, & atrox
Intima pertentans subit in præcordia frigus,
Signa tenet messis lætæ, atque horrentia brumæ
Tempora, spe frugum, & uenturo fœnore pensat.
Ergo frena lubens linguæ clausumq; sacerdos
Vocis iter patitur, magnæ præsagia prolis;
At signis nutuq; animi dat cernere motus;
Nec minus interea fumanti sufficit aræ

Quos pater omnipotens quondam sibi legit odores.
Et iam diuina, sacris de more peractis,
Se se ex æde domum tulerat quam sedula coniux
Membra fouens tepido seruabat casta cubili;
Quum tandem insueto tardari pondere sensit
Illa uterum,tacitoq; agitari uiscera motu.
Lunaq; iam quinos obliqua peregerat orbes,
Gaudia quum prolis læto sub corde uolutans,
Prodiderat toto non ulli hoc tempore,tantum
Ingenuo rugosa genas suffusa rubore;
Quod teneræ explebat munus iam effœta puellæ:
Sæpe deum uenerata,pia sic mente profatur,
Grata magis ueniunt cœli tua munera rector
Quo sunt sera magis,decoras iam pignore dulci
Connubium,iam non sterilis,iam munere dicar
Facta tuo genitrix,toto ut tibi pectore grates
Haud equidem dignas persoluam at uiribus æquas.
Cœperat interea sexto iam mense uideri
Auctior,inq; dies spatium protendier alui,
Quum supra insignis cunctas Iesseia uirgo
Diuino missu cœlesti accepit ab ore,
Virgineum decus,illæsam,expertemq; uirilis
Attactus,mentem summi natumq; parentis
Se sacro laturam utero,terrisq; daturam.
Et ne qua possent illi non certa uideri,
Cœlestis signo promissa probauerat ales,
Quod sterilis coniux senis,& maturior æui
Quam pia cognato tangebat sanguine uirgo,
Iret felici grauior iam pondere,sextum
Sub mensem,& tumida fœtus grandesceret aluo,

Fœtus qui lucis uacuas eductus in oras
Proferret tanti surgentia lumina solis.
Quæ postq̃ accepit uirgo, quamq̃ affore dictis
Crediderat iam certa fidem cœlestibus omnem,
Gratatura tamen conceptæ munere prolis
Visere anum, & uisu statuit data signa probare.
Ergo digreditur campis, collesq; beatos
Iudææ subit, & caræ contendit ad urbem
Cognatæ, ac tectis tandem succedit amicis.
Illa ut tendentem gressus ad limina uidit,
Occurrit gaudens uenienti, alacrisq; tetendit
Brachia in amplexus; prior officiosa sereno
Virgo ore, & læta longæuam uoce salutat.
Protinus, ô rerum suprema potentia patris,
Clausus adhuc utero, nec lucis munere functus,
Prima salutantis cum uox audita parenti est,
Nouit Ioannes latitantem uirginis aluo
Aeternum regem, uenit cui præuius ipse,
Exiliensq; utero, poterat quo gaudia motu
Expressit, magni sobolem genitoris adorans.
Sancte infans, at nõdum infans, te ad sidera quali
Voce feram, dignoue æquem quo carmine cœlo?
Tu nondum in uitæ spirantes editus auras
Hausisti sanctos æterni flaminis ignes,
Afflatusq; deo demissum ex æthere lucis
Agnosti auctorem; felix qui cernere lumen
In tenebris tantum potuisti, ipsumq; tueri
Sumentem humanos cœlum qui condidit artus.
At uero ut subito puerum sanctissima sensit
Exultantem anus, æthereamq; in uirgine prolem,

Concipiens toto diuinum pectore numen,
Voce alacri supplex illam uenerata profatur,
Ante alias felix mater, foetusq; beato
Quem seruas utero felix, diceris in omne
Aeuum fama ingens, & nostri gloria sexus,
Quid me quid tanto immeritam dignaris honore?
Hæc in tecta uenis, subiisti hæc limina, regis
O' genitrix summi? teneris en artibus infans
Ostendens noster diuinæ gaudia prolis
Signa dedit, cum prima meas uox uenit ad aures,
Atque afferre tuæ es tantam dignata salutem.
Præstans ò fidei. uirgo, quæ certa putasti
Mira licet summi rerum mandata parentis,
Promissa accipies cœlesti munera uoce,
Munera, perpetuam generi latura quietem
Humano, & sancti felicia secula regni.

Et iam tempus erat quo se proferret anili
Ex utero, lucisq; infans prodiret in oras;
Fortunata sacro tandem quum pondere mater
Se leuat, & terris puerum dat cernere uatem.
Haud mora, uicinas uulgatur fama per urbes
Educti in lucem tam sancti nuncia partus;
Conueniunt omnes, & iusti nota frequentant
Tecta senis, iungebat amor quos mutuus, & quos
Cognato antiquus sociabat fœdere sanguis.
Gratantur tanto dignatæ munere matri,
Et puerum cœlo tollunt, ingentia patris
Laudibus ætherei celebrantes numina summis.

Mos fuit, ipse sator rerum quem tradidit olim
Omnipotens genitori Abrææ, rite ille colendum

Quem docuit,sanctumq; pij tenuere minores;
Infanti octauæ lucis cum fungitur aura,
Ancidunt partis pellem genitabilis imam,
Fœderis æternum iuncti memorabile signum
Optatos inter populos cœliq; parentem;
Scilicet hoc gratamq; deo sanctamq; cruore
Perfuso,tanti uenturo proderet æuo
Progeniem patris egregiam,claramq; nepotum
Magnorum seriem,reges,& regibus ortos
Heroas, sacrosq; duces,& numine magnos
Diuino afflatos felicia pectora uates;
Et seruanda piæ genti qui mystica ferrent
Sacra deo,sanctisq; fouerent ignibus aras.
Vnde orbi noua lux micuit rex ille,beata
Qui secla induxit terris,miserosq; uetusto
Seruitio eripuit mortales,maximus unde
Et uates ductus populis orientia late
Præuius ostendit ueri qui lumina solis,
Cuius ego in laudes diuino accensus amore
Nunc feror eximias, sint hæc modo carmina tanti.
    Ergo ubi lux radios octaua reduxerat orbi,
Debita soluebant prisco de more frequentes;
Et puerum patris dicebant nomine,quum ui
Flaminis æterni pia pectus percita mater,
Dicite Ioannem,dixit; commota repente
Pectora mirantum nusq̃ gentile quid illud
Optarit nomen genitrix,ipsumq; rogabant
Indi quod mallet,nutu signisq; parentem;
Ille autem poterat quando non uoce, petito
Descripsit calamo,dictumq; à matre notauit

Nomen Ioannes, demissum ex æthere nomen.
Obrepsit subito cunctis stupor ossa sub ima;
Tum palmas duplices tollentem & lumina cœlo
Aspiciunt genitorem, ac mentis plena parantem
Gaudia soluenda iamdudum expromere lingua;
Atque erepta diu uox est audita repente.
Protinus ille nouo diuinas carmine laudes
Aggreditur, patrisq; effert pia munera summi.
Hoc magis attonitis gliscit stupor, & noua tanto
Perculsas uisu inuadit reuerentia mentes.
Nec mora, Iudææ colles populosq; propinquos
Peruolitans late tanti prænuntia facti
Fama implet, pulsatq; metu pia pectora sancto.
Secum omnes ortum pueri, & diuinitus illi
Optatum nomen, magnæ præsagia uitæ,
Atque iniecta diu linguæ laxataq; uincla
Versabant, non illa patris sine numine summi
Prouenisse rati. genitor tunc flamine mentem
Diuino afflatus soluens sic ora, futuri
Præscius, æterni cecinit noua secula regni.
Summus ab æthereo tandem regnator olympo
Optatam dextro despexit lumine gentem,
Inuisitq; suos, regis de sanguine mittens
Iessei assertorem hominum, auctoremq; salutis;
Ille canendus erit nobis. uos laudibus æquis
Vos illum digno super æthera tollite cantu.
Hic depressa iugo soluit languentia colla;
Infensosq; diu nobis hostemq; superbum
Contudit, æterno componens fœdera nexu.
Sic uates cecinere pij, sic munera clemens

Quæ magno iuratus auo promiserat olim,
Præstabit genitor summus; sic ægra soluti
Corda metu ancipiti, atque odijs exercita diris
Hunc recto assueti semper sanctiq; colemus.
Et tu magne puer diuinos maximus inter
Diceris uates, regi tu præuius illi
Ibis, ad hunc sanctis conuertens pectora dictis;
Tum pia gens ueram uenia donata salutem
Et lucem optatam, mansuraq; gaudia noscet.
Vsq; adeo ex alto aspexit miseratus ab imo
Pectore nos pater æthereus, caligine pressos
Antiqua, & diræ tabentes mortis in umbra,
Optatoq irradians æterni luminis ortu,
Vt capiant animos diuinæ commoda pacis.

I Am uero aerias pergam te lucis ad oras
Eductū canere, & uitæ memoranda futuris
Facta tuæ sacro deducere carmine seclis,
Sancte puer; iuuat insuetos è fonte liquores
Haurire intacto, molliq; ex arbore, tellus
Quam tua fert sola, insignes decerpere ramos,
Et mea fragranti præcingere tempora fronde.
Non ego pegasides accersam uana sorores
Numina, & aonia insignem testudine Phœbum;
Nec spatia immensi tentantem uasta profundi
Findere, me ambigui capient mendacia Protei;
Quæsitus ue ignis cœlo, simulataq; diuum
Portenta, & pictis demissus nuncius alis,
Deductæq; deum facies, & uana tonantis
Nomina, & immotus fatorum creditus ordo;
Sed me diuinus deserta per auia raptum
Accendit radijs æterni spiritus ignis.
Sic ego cœlestes poscens ad carmina uires
Non fictas uires, Sebethi ad flumina primus
Aggredior sacras digno res tradere cantu.
Mox regem æternum demissam ex æthere summi
Progeniem mentemq; patris mortalia membra
Indutum, & mire comprensum uirginis aluo,
Postq; necem diram uitæ admirandaq; facta
Alta triumphata repetentem sidera morte,
Accingar canere, & longum uoluenda per æuum
Sacra piæ genti, faueant modo ritè uocata
Numina, perpetuis intexere carmina chartis.

Interea uatis laudes pia cœpta sequamur.
Ille rudimenta primus fructumq; iuuentæ
Accipiat nostræ, & populi contemnere uilis
Iurgia, & insano doceat me tollere uulgo.
Ergo uocalis senior noua secula cantu
Et pia tollebat genitoris numina magni,
Vatidicis implens spe sancta pectora dictis.
At tibi quæ talem genitrix tunc gaudia natum
Dum complexa foues, carisq; amplexibus hæres,
Adiungisq; tui lactentibus ubera labris,
Vbera uitali rugosa tumentia rore,
Inq; dies pingui roboras noua membra liquore?
Iamq; puer sensus animi sumebat, & artus
Firmabat teneros, cui qui signa futuri
Ex utero matris quamuis iam certa dedisset,
Hunc tamen ingenti studio curaq; parentes
Instituunt sancte, & facta ad cœlestia formant.
Ille autem afflatus diuino numine mentem
Exequitur præcepta lubens, & sancta capessit
Mandata, atque alacres tollens ad sidera sensus
Paulatim humanis rebus se auertit, & ultro
Delicias molles, & curas spernit inanes.
Iamq; hominum affectus, & uanos noscere mores
Cœperat, æthereisq; animis ut crimina sensim
Terrena, & miseræ serpant contagia uitæ,
Quum fastus uulgi, cœtusq; exosus, in alta
Se abdebat nemora, & syluis degebat opacis.
Hic inter dumos sensim pubescere malas
Sensit, & insignis florem prodire iuuentæ.
Non urbes illum tectis fouere sub altis,

Per densos saltus nemorumq; inculta suetum
Ferre gradum, et placidam in syluis captare quietem.
Hic strepitum uulgi, atque operam fugientis inertem
Spernebat uitæ, uarij præuertere casus
Quam poterant ueniensq; cito mors aspera gressu;
Synceroq; omnem penitus de pectore curam
Fluxarum pellens rerum, & cœlestia semper
Concipiens animo puram super alta ferebat
Sidera, & æterno mentem replebat amore.
Illum non ardens rapidi uis torruit æstus,
Non hyemis rabies, non inclementia cœli
Durátum glacie atque æstu, nec uestibus ullis
Indutum; tantum hirsuti contexta cameli
Squalentes humeros uelabat penula setis.
At uictum tristes nullo ieiunia farre
Soluenti, locustæ inopem pauidisq; relicta
Poma feris, herbæq; dabant baccæq; rubentes,
Et congesta cauo syluestria stipite mella.
Non cibus hunc hominum mollita salubribus esca
Ignibus, instructæ tenuit non copia mensæ,
Non ullæ allexere dapes, nec pocula succo
Pampineo saturata, sitim compescere pura
Contentum lympha & deserti fluminis haustu.
Et rapidus seu sol agros urebat hiantes,
Siue gelu densabat hyems cum cæca teneret
Nox terras, nullis macie confecta leuabat
Stratis non ullo recreabat membra cubili;
Verum antro in gelido patulaue sub arbore somnos
Carpebat tenues, cœlestes cernere tractus
Lumina concedens seræ defessa quieti.

Heu stolidæ mentes, & luce carentia corda
Humanæ gentis, quantis uita ægra laborat
In tenebris, quali iactantur pectora motu;
Alma cibum nobis, natiuaq; pocula tellus,
In speculusq; domos, in pratis sponte cubile
Præbuit, ingrati fulgenti è marmore uillas
Insignesq; domos struimus, uix mœnibus urbes.
Egregiæ capiunt quosdam uix maxima regna,
Immemores, totos ueniet cum serior hora,
Quam breuis urna teget. miseri quid tenditis arte
Vincere solertis naturæ inuenta, quid usus
Angustæ ad uitæ tenues tam multa paratis?
Luxibus ignaui luxus quid nectitis? omne
Quod superat uobis, illis id demitur, æuum
Qui degunt inopes rerum, quibus ampla parentis
Aufertis terræ communis munera, & orbe
Arcetis toto, atque auræ uix linquitis usum;
Interea ad lucem cœnas uos ducitis, ullæ
Nec satiant epulæ pinguisue opulentia mensæ;
Hoc iuuat ò miseri diros quod pascitis atra
Ingluuie morbos, mortemq; arcessitis ultro;
At non in uestro firmantur corpore uires,
Morsue minus properans ueniet quod concaua uestrā
Gemma sitim leuat, aut picto recubatis in ostro,
Et nitidis fulgens quod uestris serica uillis
Nec saturata semel precioso murice lana,
Et ductum argentum atque aurum uos textile uestit.
Quam procul his petitur summi domus ardua cœli,
Delicijs miseros diro quæ funere perdent.
Ille autem in syluis uitam qui horrentibus egit

Eximius uates, æstus brumæq; labores
Pauperiemq; famemq; ferens, non talia liquit
Exempla, at luxus, & uulgi mobilis auras
Vanaq; uitabat labentis gaudia uitæ.
Iamq; illum uiridis tandem firmauerat ætas,
Et solidæ stabant iuuenili in corpore uires;
Quum uolitans urbes impleuit fama propinquas,
Insignem iuuenem saltus errare per altos
Densorum nemorum, & cœtus uitare, proculq;
Vrbibus extolli tota super æthera mente.
Haud mora, conueniunt populi, solasq; latentem
Per syluas perq; antra illum deserta requirunt.
Quos ubi conspexit, se se uenientibus ultro
Obtulit, & claro ostendit se in lumine uates.
Obstupuere omnes cum formam atque horrida cultu
Aspexere uiri, & macie squalentia membra,
Et barbam impexam, intonsos hirtosq; capillos;
Verum ubi fixerunt in sacros lumina uultus
Exangues licet, & tristi pallore rigentes,
Conspiciunt ora æthereo suffulta uigore;
Et geminas sacro fundentem uertice flammas,
Cœlestes flammas radijs quæ pectora miris
Spectantum, & sancto replebant corda pauore.
Visa minor fama est, uatis cum cernere sacri
Ora datum, coramq; oculos explere tuendo;
Ardebantq; illum iandudum audire loquentem.
Is uero incepit tandem, & sacra ora resoluit,
Mira canens, sanctisq; implens sermonibus aures,
Et læta ostendens æterni tempora regis.
Nec non & scelerum pollutos sorde priorum

Purgabat dictis animos; quæ quisq; sequatur
Quæ fugiat uitetq; docens, tum tetra fatentes
Crimina, mergebant miseros quæ funere diro,
Orantesq; deum ueniam, uitamq; priorem
Pertæsos, sacri lustrabat fluminis unda;
Scilicet abluti mortalia corpora, signum
Acciperent mentis terrena labe piatæ.
Res noua per latos populos urbesq; propinquas
Pertulerat uatis nomen, cunctiq; relictis
Sedibus in syluas alacres cupideq; ruebant.
Per nemus aspiceres uastum, & deserta ferarum
Per loca certatim ferri nullo ordine turbas,
Et quemq; inuentum uatem contendere primum
Conspicere, & propius pendere loquentis ab ore.
Per campos ueluti properat cum exercitus æstu
In medio stimulante siti, si ex agmine quisq̃
Repperit in tenero muscosum gramine fontem,
Cuncti iter inceptum linquient, & quisque perustas
Ante alios certat fauces pertinguere lympha.
Ille autem ardentes mire inflammabat, & acres
Commota addebat stimulos ad pectora dictis.
Hic aliquis, fœda urgebant quem noxia cordi
Crimina, quis uitam excoleret præcepta rogabat,
Tunc ille his auidas implebat uocibus aures.
Quos ò diuitijs iuuat inuigilare repertis,
Quid satiare sitim lacrimis inopumq; cruore
Semper inexpletam, & prædando quæritis? omne
Perq; nefas inhiatis opes? nullusue parandis
Vsquam finis erit? partem iam ponite uestris.
Quæ tulit in lucem nudos, uos frigida nudos

Concipiens toto diuinum pectore numen,
Voce alacri supplex illam uenerata profatur,
Ante alias felix mater, fœtusq; beato
Quem seruas utero felix, diceris in omne
Aeuum fama ingens, & nostri gloria sexus,
Quid me quid tanto immeritam dignaris honore?
Hæc in tecta uenis, subijsti hæc limina, regis
O' genitrix summi? teneris en artibus infans
Ostendens noster diuinæ gaudia prolis
Signa dedit, cum prima meas uox uenit ad aures,
Atque afferre tuæ es tantam dignata salutem.
Præstans ò fidei uirgo, quæ certa putasti
Mira licet summi rerum mandata parentis,
Promissa accipies cœlesti munera uoce,
Munera, perpetuam generi latura quietem
Humano, & sancti felicia secula regni.
Et iam tempus erat quo se proferret anili
Ex utero, lucisq; infans prodiret in oras;
Fortunata sacro tandem quum pondere mater
Se leuat, & terris puerum dat cernere uatem.
Haud mora, uicinas uulgatur fama per urbes
Educti in lucem tam sancti nuncia partus;
Conueniunt omnes, & iusti nota frequentant
Tecta senis, iungebat amor quos mutuus, & quos
Cognato antiquus sociabat fœdere sanguis.
Gratantur tanto dignatæ munere matri,
Et puerum cœlo tollunt, ingentia patris
Laudibus ætherei celebrantes numina summis.
Mos fuit, ipse sator rerum quem tradidit olim
Omnipotens genitori Abraæ, rite ille colendum

Quem docuit, ſanctumq; pij tenuere minores;
Infanti octauæ lucis cum fungitur aura,
Ancidunt partis pellem genitabilis imam,
Fœderis æternum iuncti memorabile ſignum
Optatos inter populos cœliq; parentem;
Scilicet hoc gratamq; deo ſanctamq; cruore
Perfuſo, tanti uenturo proderet æuo
Progeniem patris egregiam, claramq; nepotum
Magnorum ſeriem, reges, & regibus ortos
Herodas, ſacrosq; duces, & numine magnos
Diuino afflatos felicia pectora uates;
Et ſeruanda piæ genti qui myſtica ferrent
Sacra deo, ſanctisq; fouerent ignibus aras.
Vnde orbi noua lux micuit rex ille, beata
Qui ſecla induxit terris, miſerosq; uetuſto
Seruitio eripuit mortales, maximus unde
Et uates ductus populis orientia late
Præuius oſtendit ueri qui lumina ſolis,
Cuius ego in laudes diuino accenſus amore
Nunc feror eximias, ſint hæc modo carmina tanti.
Ergo ubi lux radios octaua reduxerat orbi,
Debita ſoluebant priſco de more frequentes;
Et puerum patris dicebant nomine, quum ut
Flaminis æterni pia pectus percita mater,
Dicite Ioannem, dixit; commota repente
Pectora mirantum nusq̃ gentile quid illud
Optarit nomen genitrix, ipſumq; rogabant
Indi quod mallet, nutu ſignisq; parentem;
Ille autem poterat quando non uoce, petito
Deſcripſit calamo, dictumq; à matre notauit

Nomen Ioannes, demissum ex æthere nomen.
Obrepsit subito cunctis stupor ossa sub ima,
Tum palmas duplices tollentem & lumina cœlo
Aspiciunt genitorem, ac mentis plena parantem
Gaudia soluenda iamdudum expromere lingua;
Atque erepta diu uox est audita repente.
Protinus ille nouo diuinas carmine laudes
Aggreditur, patrisq; effert pia munera summi.
Hoc magis attonitis gliscit stupor, & noua tanto
Perculsas uisu inuadit reuerentia mentes.
Nec mora, Iudææ colles populosq; propinquos
Peruolitans late tanti prænuntia facti
Fama implet, pulsatq; metu pia pectora sancto.
Secum omnes ortum pueri, & diuinitus illi
Optatum nomen, magnæ præsagia uitæ,
Atque iniecta diu linguæ laxataq; uincla
Versabant, non illa patris sine numine summi
Prouenisse rati. genitor tunc flamine mentem
Diuino afflatus soluens sic ora, futuri
Præscius, æterni cecinit noua secula regni.
Summus ab æthereo tandem regnator olympo
Optatam dextro despexit lumine gentem,
Inuisitq; suos, regis de sanguine mittens
Iessei assertorem hominum, auctoremq; salutis;
Ille canendus erit nobis. uos laudibus æquis
Vos illum digno super æthera tollite cantu.
Hic depressa iugo soluit languentia colla;
Infensosq; diu nobis hostemq; superbum
Contudit, æterno componens fœdera nexu.
Sic uates cecinere pij, sic munera clemens

Quæ magno iuratus auo promiserat olim,
Præstabit genitor summus; sic ægra soluti
Corda metu ancipiti, atque odijs exercita diris
Hunc recto assueti semper sanctiq; colemus.
Et tu magne puer diuinos maximus inter
Diceris uates, regi tu præuius illi
Ibis, ad hunc sanctis conuertens pectora dictis;
Tum pia gens ueram uenia donata salutem
Et lucem optatam, mansuraq; gaudia noscet.
Vsq; adeo ex alto aspexit miseratus ab imo
Pectore nos pater æthereus, caligine pressos
Antiqua, & diræ tabentes mortis in umbra,
Optato irradians æterni luminis ortu,
Vt capiant animos diuinæ commoda pacis.

Interea uatis laudes pia cœpta sequamur.
Ille rudimenta primus fructumq; iuuentæ
Accipiat nostræ, & populi contemnere uilis
Iurgia, & insano doceat me tollere uulgo.
Ergo uocalis senior noua secula cantu
Et pia tollebat genitoris numina magni,
Vatidicis implens spe sancta pectora dictis.
At tibi quæ talem genitrix tunc gaudia natum
Dum complexa foues, carisq; amplexibus hæres,
Adiungisq; tui lactentibus ubera labris,
Vbera uitali rugosa tumentia rore,
Inq; dies pingui roboras noua membra liquore?
Iamq; puer sensus animi sumebat, & artus
Firmabat teneros, cui qui signa futuri
Ex utero matris quamuis iam certa dedisset,
Hunc tamen ingenti studio curaq; parentes
Instituunt sancte, & facta ad cœlestia formant.
Ille autem afflatus diuino numine mentem
Exequitur præcepta lubens, & sancta capessit
Mandata, atque alacres tollens ad sidera sensus
Paulatim humanis rebus se auertit, & ultro
Delicias molles, & curas spernit inanes.
Iamq; hominum affectus, & uanos noscere mores
Cœperat, æthereisq; animis ut crimina sensim
Terrena, & miseræ serpant contagia uitæ,
Quum fastus uulgi, cœtusq; exosus, in alta
Se abdebat nemora, & syluis degebat opacis.
Hic inter dumos sensim pubescere malas
Sensit, & insignis florem prodire iuuentæ.
Non urbes illum tectis fouere sub altis,

Per densos saltus nemorumq; inculta suetum
Ferre gradum, et placidam in sylvis captare quietem.
Hic strepitum uulgi, atque operam fugientis inertem
Spernebat uitæ, uarij præuertere casus
Quam poterant ueniensq; cito mors aspera gressu;
Synceroq; omnem penitus de pectore curam
Fluxarum pellens rerum, & cœlestia semper
Concipiens animo puram super alta ferebat
Sidera, & æterno mentem replebat amore.
Illum non ardens rapidi uis torruit æstus,
Non hyemis rabies, non inclementia cœli
Durātum glacie atque æstu, nec uestibus ullis
Indutum; tantum hirsuti contexta cameli
Squalentes humeros uelabat penula setis.
At uictum tristes nullo ieiunia farre
Soluenti, locustæ inopem pauidisq; relicta
Poma feris, herbæq; dabant baccæq; rubentes,
Et congesta cauo sylvestria stipite mella.
Non cibus hunc hominum mollita salubribus esca
Ignibus, instructæ tenuit non copia mensæ,
Non ullæ allexere dapes, nec pocula succo
Pampineo saturata, sitim compescere pura
Contentum lympha & deserti fluminis haustu.
Et rapidus seu sol agros urebat hiantes,
Siue gelu densabat hyems cum cæca teneret
Nox terras, nullis macie confecta leuabat
Stratis non ullo recreabat membra cubili;
Verum antro in gelido patulaue sub arbore somnos
Carpebat tenues, cœlestes cernere tractus
Lumina concedens feræ defessa quieti.

Heu ſtolidæ mentes,& luce carentia corda
Humanæ gentis,quantis uita ægra laborat
In tenebris,quali iactantur pectora motu;
Alma cibum nobis,natiuaq; pocula tellus,
In ſpęcubusq; domos,in pratis ſponte cubile
Præbuit,ingrati fulgenti è marmore uillas
Inſignesq; domos ſtruimus,uix mœnibus urbes.
Egregiæ capiunt quoſdam uix maxima regna,
Immemores,totos ueniet cum ſerior hora,
Quam breuis urna teget. miſeri quid tenditis arte
Vincere ſolertis naturæ inuenta,quid uſus
Anguſtæ ad uitæ tenues tam multa paratis?
Luxibus ignaui luxus quid nectitis? omne
Quod ſuperat uobis,illis id demitur,æuum
Qui degunt inopes rerum,quibus ampla parentis
Aufertis terræ communis munera,& orbe
Arcetis toto,atque auræ uix linquitis uſum;
Interea ad lucem cœnas uos ducitis,ullæ
Nec ſatiant epulæ pinguiſue opulentia menſæ;
Hoc iuuat ò miſeri diros quod paſcitis atra
Ingluuie morbos,mortemq; arceſſitis ultro;
At non in ueſtro firmantur corpore uires,
Morsue minus properans ueniet quod concaua ueſtrã
Gemma ſitim leuat,aut picto recubatis in oſtro,
Et nitidis fulgens quod ueſtris ſerica uillis
Nec ſaturata ſemel precioſo murice lana,
Et ductum argentum atque aurum uos textile ueſtit.
Quam procul his petitur ſummi domus ardua cœli,
Delicijs miſeros diro quæ funere perdent.
Ille autem in ſyluis uitam qui horrentibus egit

Eximius uates, æstus brumæq; labores
Pauperiemq; famemq; ferens, non talia liquit
Exempla, at luxus, & uulgi mobilis auras
Vanaq; uitabat labentis gaudia uitæ.
Iamq; illum uiridis tandem firmauerat ætas,
Et solidæ stabant iuuenili in corpore uires,
Quum uolitans urbes impleuit fama propinquas,
Insignem iuuenem saltus errare per altos
Densorum nemorum, & cœtus uitare, proculq;
Vrbibus extolli tota super æthera mente.
Haud mora, conueniunt populi, solasq; latentem
Per syluas perq; antra illum deserta requirunt.
Quos ubi conspexit, se se uenientibus ultro
Obtulit, & claro ostendit se in lumine uates;
Obstupuere omnes cum formam atque horrida cultu
Aspexere uiri, & macie squalentia membra,
Et barbam impexam, intonsos hirtosq; capillos;
Verum ubi fixerunt in sacros lumina uultus
Exangues licet, & tristi pallore rigentes,
Conspiciunt ora æthereo suffulta uigore;
Et geminas sacro fundentem uertice flammas,
Cœlestes flammas radijs quæ pectora miris
Spectantum, & sancto replebant corda pauore.
Visa minor fama est, uatis cum cernere sacri
Ora datum, coramq; oculos explere tuendo;
Ardebantq; illum iandudum audire loquentem.
Is uero incepit tandem, & sacra ora resoluit,
Mira canens, sanctisq; implens sermonibus aures,
Et læta ostendens æterni tempora regis.
Nec non & scelerum pollutos sorde priorum

Purgabat dictis animos; quæ quisq; sequatur
Quæ fugiat uitetq; docens, tum tetra fatentes
Crimina, mergebant miseros quæ funere diro,
Orantesq; deum ueniam, uitamq; priorem
Pertæsos, sacri lustrabat fluminis unda;
Scilicet abluti mortalia corpora, signum
Acciperent mentis terrena labe piatæ.
Res noua per latos populos urbesq; propinquas
Pertulerat uatis nomen, cunctiq; relictis
Sedibus in syluas alacres cupideq; ruebant.
Per nemus aspiceres uastum, & deserta ferarum
Per loca certatim ferri nullo ordine turbas,
Et quemq; inuentum uatem contendere primum
Conspicere, & propius pendere loquentis ab ore.
Per campos ueluti properat cum exercitus æstu
In medio stimulante siti, si ex agmine quisq̃
Repperit in tenero muscosum gramine fontem,
Cuncti iter inceptum linquient, & quisque perustas
Ante alios certat fauces pertinguere lympha.
Ille autem ardentes mire inflammabat, & acres
Commota addebat stimulos ad pectora dictis.
Hic aliquis, fœda urgebant quem noxia cordi
Crimina, quis uitam excoleret præcepta rogabat,
Tunc ille his auidas implebat uocibus aures.
Quos ô diuitijs iuuat inuigilare repertis,
Quid satiare sitim lacrimis inopumq; cruore
Semper inexpletam, & prædando quæritis? omne
Perq; nefas inhiatis opes? nullusue parandis
Vsquam finis erit? partem iam ponite uestris.
Quæ tulit in lucem nudos, uos frigida nudos

Et pia tradentem genti præcepta rogabant
Tesbius an uates, an rex foret ultimus ille
Diuinum terris qui sic ostendere regnum
Auderet, populumq; insueto more piare.
O' decus humanæ gentis quo carmine ferre
Te spatia immensi ualeam super ardua cœli?
Iam tua te uates uirtus iam gloria ad astra
Factorum extulerat, uerumq; assueta fateri
Acceptura fidem haud dubiam uox illa fuisset,
Vltima si annueras terris te secla tulisse,
At te nil humana agitantes pectora laudes
Mouerunt regis caperes ut nomina summi.
Tum corda his uates firmans titubantia dictis,
Non ego cœlesti forsan quem sede putatis
Aduectum terris, uates sum tesbius inquit,
Nec me supremi dignabor nomine regis,
Sed puro missus pertæsos crimina fonte
Abluere, æternis lustret quos ignibus ille
Et generis perimat labem, penitusq; piatos
Adueniens rex eripiat caligine tetra;
Et quamq̃ in lucem uenit me serior, ortus
Præcessit tamen ille meos, longeq; potentem
Ante alios unum hunc supplex ueneratus adoro.
Ille idem radijs implens cœlestibus orbem,
Collapsis penitus statuet noua fœdera rebus.
Et ueluti solers messem cum uentilat æstu
Agricola in rapido, dat flammis urere aristas,
Et puras infert fruges flauentibus horreis,
Expectata pijs donans felicia regna,
Hinc procul eijciet sontes, noctisq; profundæ

Inuoluet tenebris, quos atra incendia diris
Addictos pœnis semper mansura uorabunt.
Hunc alij uobis uates hunc maximus olim
Amoides dixit, cum per deserta uagantem
Monstrantemq; uirum cecinit felicius æuum,
Clamantemq; uiam uenturo sternite regi;
Et iam clamantis nemorosa per auia uocem
Accipitis, nec longe aberit, cum cernere tantum
Quem cano fas fuerit manifesto in lumine regem,
Et nunc mortales inter nec cognitus ulli
Versatur uestris socium se cœtibus addens.
Talia dum fatur uates, turbamq; beatæ
Attentam incendit uitæ uenientis amore,
Plebs ignara fidem præbebat plurima dictis;
At quibus æternæ legis data cura docendæ,
Et quos ingenium solers, atque ardua rerum
Cognitio indocto dederat præcellere uulgo,
Irrita dicebant uatis responsa, nouumq;
Expectandum illud lustris labentibus æuum.
Mens ignara hominum, quid rerum quærere causas
Et multam prodest longo uigiliq; parare
Doctrinam studio, modicis quid uiribus impar
Sumere onus rerum auctoris pia sacra ferendi,
Si non quæsita ad superas prudentia sedes
Monstret iter cæcaq; animos caligine soluat?
Quiq; sacris præsunt, si ad recti uertere cultum
Non curent, & iussa rudes diuina docere?
Non acre ingenium, doctas non uita per artes
Exculta, ætherei genitoris numina flectunt;
Nec multa effulgens auro gemmisq; corona,

Ac mitra insigni aut rutila frons aucta tiara,
Et laxa ad talos ardenti è murice uestis,
Fortunata parant duro quærenda labore
Regna piæ genti fuso quæ sanguine sancto
Rex statuit moriens æterni conditor æui.
Ergo ueridico fuerat quæ mira canenti
Vati adhibenba fides, hic omnis defuit, esse
Quos penes ingentem decuit, nec uana putasse
Quæ rudis intenta credens plebs hauserat aure.
Interea sanctis uates dum pectora dictis
Irrigat, & crebro populos perfundit ab amne,
Rex patris ætherei soboles qui pellere noxam
Venerat antiquam, tenebrasq; ex orbe fugare,
Quo uatis promissa pij non uana probaret,
Proxima qui æterni regis noua secla canebat,
Ipse etiam turbas inter lustrarier amne
Venit; & immensi cui parent lumina mundi
Rex ibat superum uelut è mortalibus unus.
O' lux omnipatens, æterni ò flaminis ingens
Virtus, non hominum fuerat qui cognitus ulli
Eductus syluas inter, saltusq; ferarum,
Vt primum uates uenientem lumina fixit
In regem, æterni magna ui numinis actus,
Ten ait exclamat, te luce intentior omni,
Qui priscam terris uenisti abstergere labem,
Mortalis rerum dominum cœliq; potentem
Ausim ego delenti sordes pertinguere lympha?
Quin tu me sceleris pollutum labe uetusti
Elue, natiuoq; illic sic rende nitori,

Sordida quem rapuit primæui noxa parentis.
Ille autem ne obsiste inquit: sic conuenit omne
Nos superare æuum, porro discrimine nullo
Me quoq; mortalem ueluti perfunde liquore.
Hæc ait & pariter fert sacra ad flumina gressus
Sancta pedum figens udis uestigia arenis.
Fortunate amnis, uerum cui tinguere lucis
Humanæ auctorem felici contigit unda.
Ipsa tibi cedunt non tantum flumina quotquot
Terra parit, notiq; lacus, sed uasta profundi
Victa tuo fluuio subdunt se marmora ponti.
Nam licet immensum oceanus late ambiat orbem,
Ipse tamen quem non tellus non æquoris undæ,
Non spatia excelsi capiunt amplissima cœli,
Tendentem ad te humili incessu, nitidoq; petentem
Flumine perfundi uelut è mortalibus unum,
Sparsisti ex illo sacratis tempore lymphis.
Interea genitor conspersum flumine natum
Audijt orantem. Quis me super ardua raptum
Sidera, nec uanum quicq; aut mortale canentem
Diriget ad metam? ò tantis nunc spiritus ausis
Annuat, excelso uates quem ex æthere labi
Aspexit, magnumq; super consistere regem.
Vix fluuio egressus rex idem presserat udis
Tellurem pedibus, superum cum rector ab alto
Præsenti in luce emicuit, celsusq; repente
È summo se se patefecit culmine olympus.
Tunc se diuinum demittens flamen ab astris
Accessit propius terras, mitisq; columbæ

Corporea apparens specie, quam humana uiderent
Lumina, consedit diuini in uertice regis.
Intonuit, sonitusq; nouos dedit arduus æther,
Et uox supremi sic est audita parentis,
Hic meus est ante omne fuit qui filius æuum,
Hunc æternus amor semper mihi iunxit, & idem
Diuinam clausit mortali in corpore mentem.
Sed decet hic unum triplex ostendere cantu
O' liceat digno numen, manifestius unq̃
Quod non se ostendit, summus q̃ perluit ipsam
Quum uates sacro diuinam flumine prolem.
Id mentes capiunt hominum, & mortalia tanti
Sunt corda? & nostræ poterunt hoc pandere uoces?
Nos pater omnipotens ortum dedit æthere ab alto
Ducere, & in cœlum euexit mortalia membra
Diuinam inspirans animam, quam noscere fas est
Omnia, seq; rapit quo fert sua cumq; uoluntas.
Extollunt hæ nos geminæ super æthera uires,
Præstamus uitæ his uolucrum generiq; natantum,
Almaq; quot syluis pascit quot gramine tellus;
Namq; hæc non ipsum, cum sint expertia mentis,
Supremum auctorem rerum, qui condidit imam
Tellurem, & celso splendentia sidera cœlo,
Non se se agnoscunt penitus, non condita quæuis,
Sola etenim mens ipsa potis nosse omnia solers;
Sed nec uelle his est, hebeti tantumq; trahuntur
Affectu, & prono ducunt è corpore sensus;
At nos quamq̃ animo afficimur tamen una uoluntas
Hunc agit, & nusq̃ compellit cæca libido.

An non sæpe libet quicq̃, nostrosq; lacessit
Quod cupimus sensus, animo tamen ardua uelle
Longe aliud suadet ratio affectusq; coercet,
Cumq; ægris cordi sint dulcia pocula nobis,
Quod mage conducat latices potamus amaros.
At contra non bruta queunt optare nec ullum
Consilium uitæ ratione carentia ducit.
Ergo hominum sublime genus non cætera tantum
Viribus his superat geminis animantia summis,
Verum diuino dignati semine, & ortu
Natura similes superum terræq; parenti
Nos sumus, eq; illo est humanæ stirpis origo.
Namq; dei ut summi in natura est unica proles
Ex patre ipsa dei mens, sanctumq; ex utroq;
Est flamen, quæ est una patris natiq; uoluntas,
Sic animæ natura est nostræ, quæ parit ipsum
Nosse, suum tum uelle oritur tum intelligit illa,
Quare animam cum quis penitus cognouerit ipsam
Hinc poterit triplex unum cognoscere numen.
Nam pater omnipotens summe felixq; bonusq;
Cum sit, mens autem faciat cum quemq; beatum,
Nec quis ni prudens ualeat bonus esse uolensq;,
Esse deo mentemq; uoluntatemq; necesse est.
Et ueluti est eadem natura atque unica nostri,
Vnde anima est, ratioq; animæ eiusdemq; uoluntas,
Sic patris natiq; & sancti flaminis unum
Numen idemq; est, triplex unusq; est deus idem.
Atque illo quoniam non est in numine quicquam
Quod fiat, neu per se existat, nilq; quod esse

Non habeat summum ; quicquid dei est deus ipse
Hoc ipsum omnino est,quum perfectissimus ille
Integer atque idem totus sit,mens sit oportet
Ipsa dei deus,& uotum deus,& sit eadem
Cum patre natura,mens illius atque uoluntas ;
Quare animæ quamq̃ similis natura parenti
Aethereo nostræ est,tamen hoc ea distat ab illo
Quod geminæ ipsæ animæ uires quæ est condita quæq;
Mutatur,nec quidq; sui quodue illa agit ipsa est,
Non ita sunt anima ex nostra,intellectio ut id sit
Quod per se est animæ natura,itidemq; uoluntas,
Namq; animæ affectus sunt,dumq; intelligit illa
Aeque optat fiunt,at uero mensq; uoluntasq;
Aeterni genitoris,ab illo ita sunt,nihil ut sit
Factum ab eo,aut non per se existens,neu deus ipse ;
Namq; aliter non summe perfectum abq; solutum,
Integrumq; dei quicq̃ foret,ac deus idem
Totus,mensq; dei per se, per seq; uoluntas
Existit,tum integra ac perfectissima utriq; est
Natura,ac non effectus quicq̃ ue dei sunt
Quod non sit deus,atque deo deus utraq; ab ipso est.
Quumq; deus pater ipse sit,est etiam deus ipsa
Mens patris natus,uotum natiq; patrisq;
Sanctum etiam flamen deus est, parq; est tribus esse ;
Tres tamen hos esse unum numen nõ tria certum est ;
Atque alius pater est,aliusq; est natus, & ipse
Spiritus est alius diuinus,sed tribus una
Omnino,atque eadem natura est:cumq; trium sit
Quisq; deus,tamen haud tres dij sunt sed deus unus.

Res mira atque ingens, capiant quam pectora nunꝗ
Nostra, nec humanæ possint ostendere uoces;
Attamen id nobis pro captu apprendere mentis
Fas est, cum liceat patrem cognoscere summum
Per nostræ naturam animæ, quæ condita quantum
Res unꝗ excelso potuit dignarier ortu,
Est illi similis qui condidit omnia solus.
Sed iam tempus erat, ueri quo luminis index
Proderet æternum mortali in corpore regem
Promissum optatumq; diu terrasq; colentem.
Ergo rex idem turbas dum sæpe reuisit,
Et se noscendum coram mortalibus offert;
Aspiciens uates uenientem hunc eminus, hic est
Hic inquit generis delet qui crimina nostri,
Innocuus uerusq; agnus diuinus; hic ille est
Quem dixi æthereas quamꝗ me serius oras
Hauserit, ante tamen cœli ꝗ conderet arcem
Naturæ genitor, tempusq; ante omne fuisse.
Hunc pater è celso demittens æthere summus
In terras, me præmisit, qui præuius illum
Monstrarem uobis uenientem, undiq; piarem
Quos hic diuini lustrabit flaminis igne.
Hunc idem ostendit genitor cum flumine sacro
Illum ego Iordanis laui; uocem ipse loquentis
Accepi, prolemq; suam caramq; probantis;
Et sanctum è cœlo labi, puræq; columbæ
Hoc super aspexi specie considere flamen,
Aspexi, & regem æternum rerumq; salutis
Humanæ auctorem agnoui, qui ex æthere missus

Purgabit longa pressas caligine terras.
Sic uates regem optatum ostendebat, & amnis
Pergebat sacri mortales tinguere lympha:
Interea patris summi mandata facessens,
Parte alia ingentem populum felicibus idem
Rex lustrabat aquis, diuinaq; iussa docebat.
Id comites uati referunt, passim undiq; ad illum
Purgandos lymphis properare salubribus omnes.
Ille autem haud inquit tractat cœlestia quisq;
Ni datur è cœlo. iam patris iussa peregi
Hactenus ætherei, iam regi præuius ipsi.
Ostendi ueniens diuini secula regni,
Et scelerum oblitos penitus uitæq; prioris,
Edocui puras uenienti aduertere mentes,
Iordanis tinguens unda, quibus eximat ille
Antiquam, lustrans diuino flamine, labem.
Vos ipsi audistis toties cum sæpe rogarent,
Pura ego qui populos lustrarem fluminis unda
An rex ille forem, tali me haud nomine dignum
Aeternumq; illum regem dominumq; fatentem;
Cuius ego haud digne genibus prouoluar, & imos
Ore pedes & sancta pedum uestigia lambam.
Iamq; probata omnes læto mea dicta uidetis
Euentu; expectatus adest noua gaudia portans.
Iam me illum iuuat aspicere atque audire loquentem;
Ceu quis cum sponso ingenti deuinctus amore
Tradita si cupido fuerit noua nupta marito
Lætitia exultat, tum caro lætus amico
Gratatur, totusq; imo sub pectore gestit.

Haud aliter, cum quæ optaui noramq; futura
Adfuerint, nostra æquarunt ea gaudia uota,
Inq; suum hunc lætor regnum aduenisse beatum.
Et iam quod late nostrum crebescere nomen
Cœperat, ille suo postquam se protulit orbi,
Imminui par est, ipsumq; ad sidera tolli.
Ille deo genitore satus, super æthera, sortem
Humanam excedens, meritis famaq; feretur.
Interea summi nomenq; & gloria regis
Per populos sese Iudææ effuderat omnes,
Et miris ingens factis, signisq; coruscus
Virtutis monumenta suæ mortalibus ille
Clara dabat, summoq; ortum se patre docebat.
Hæc ubi fama pij uatis peruenit ad aures,
Diuino quamq̃ perfusus flamine, nosset
Esse illum æterni sobolem mentemq; parentis,
Attamen ut comites quæ sacro ostenderat ore
Ante oculos interq; manus exposta uiderent,
Ex illis mittit qui regem adeantq; rogentq;,
Ipse ne sit lapsis ueniens succurrere rebus,
An ne aliud maneat pietas hæc serius æuum.
Illi abeunt, sanctiq; ferunt mandata magistri;
Rex autem non uerba ferens, cœlestibus ipsos
Admonuit signis uati quæ facta referrent.
Continuo uarijs mortalia corpora morbis
Eripiens, uitam sub nocte trahentibus atra
Plerisque optati præbebat luminis usum;
Et confecta lue, & sanie tabentia membra
Diuina firmabat ope, oppressosq; nocenti

Dæmone; depellens uesanam in tartara pestem
Sensibus & menti quosdam reddebat ademptis.
Talia rex magnus felicis conditor æui
Ostendens, uatiq; illos quæ aut uisa referrent
Aut audita docens, diuino hæc addidit ore,
Vos ite & sacro responsa hæc reddite uati,
Per me fulgorem cœli qui luce carebant
Aspiciunt, nuperq; obstructas missus ad aures
Iam sonus accipitur certus, nec non quibus ægra
Torpebant membra, incolumes uestigia firmant.
Tum quibus ambesos elephantia læserat artus
Squalens, & maculis fœdarat corpora diris,
Iam mundos tristisq; lues languorq; reliquit.
Et quibus exactæ fluxerunt ultima uitæ
Tempora, perpetuusq; urgebat lumina somnus,
Ad superas auras reuocati, & sidera, rursus
Aethereum cœli lumen spirabile captant;
Instruimusq; inopes diuini ad gaudia regni.
Et felix nostri quem nil offenderit umq̃,
Meq; dei putet humana sub imagine prolem
Mortali haud dubiam generi præstare salutem.
His se qualis erat dictis ostendit, & auctos
Spe sancta illos edocuit, uatiq; remisit.
Nec minus & reliquis defixis lumina in uno
Addidit hæc, quid uos autem quid densa petistis
Visuri nemora, & syluas accestis opacas?
Non ibi gaudentem uulgi fallacibus auris
Spectatis, turbent uolucris quem flamina laudis,
Et tumidum moteant fluuialis arundinis instar

Quam crebris agitant stridentes flatibus Euri.
Non ibi munditijs captum fastuq; superbo
Quales ardenti uestitos murice diues
Delicijs trahit, atque ignauo regia luxu,
Ast illum licuit præsentem cernere summi
Quem cecinere olim felicia pectora uates,
Præmissum antiquæ noctis caligine pressis
Longum expectatæ ostensurum gaudia lucis.
Hic inter uates diuinos maximus, hic est
Qui cunctis longe præstat mortalibus unus.
Sic decus eximij uatis, laudesq; recensens
Rex hunc tollebat iudexq; ad sidera summus.

INclyta quos ualuit terris extollere uirtus,
Et meritis claros fulgentibus intulit astris,
Sæpe hominũ gens dira odijs exercuit atris,
Innocuosq; ausa est crudeli perdere leto.
Sic uatum sera qui in nocte iacentibus ægris
Prædixere nouæ lucis mortalibus ortum,
Insontem pleriq; animam effudere, pijsq;
Pro meritis diro soluerunt funere pœnas;
Sic & testati intrepide pia nomina regis
Cœlicolum, hunc terras propter lucemq; perosi,
Infandas subiere neces exemplaq; dira.
Idem etiam ætherei soboles patris unica, cœlo
Deueniens sceleris contagem abolere uetusti,
Præclaram rursus uenturam ad lumina uitæ
Et semper uicturam animam per uulnera dira
Occumbens leto mortali è corpore soluit.
Maximus & uates porro uitalibus auris
Ante diem indigna concessit morte peremptus.
Ille quidem attonitum suadebat crimina uulgus
Linquere, & æternum præsentem agnoscere regem.
Et iam fama uiri late diffusa tyranni
Se se in Idumei uolitans inuexerat aulam,
Herodis qui sceptra patris partemq; tenebat
Diuitis imperij, patrij quoq; nominis hæres.
Is uatem eximium obseruans diuina canentem,
Præbebat sanctis faciles sermonibus aures;
Ille autem impuros mores, infandaq; dictis
Acribus haud timide damnabat crimina regis.

Namq; is fraternos thalamos uiolare, toriq;
Iura, fidemq; ausus netiti fas uerterat omne,
Omne pium gaudens cognato incestus amore.
Huic germanus erat natu regnoq; Philippus
Inferior, factisq; minor tum uiribus impar.
Cui fuerat coniux forma ut præstantior una
Sic scelere ante alias animoq; immanior omnes.
Quæ thalami pia iura, & uincula pacta iugalis
Soluere nil uerita, & sanctum temerare pudorem,
Fœdere connubij spreto, socioq; cubili,
Iunxerat Herodi ueræ se coniugis instar;
At scelus ingeminans raptoq; potitus adulter
Horrificis dignam tenebris & uindice pœna
Intulerat tectis reginæ more superbis,
Cunctorumq; ante ora palamq; impurus habebat.
Ergo concubitu uates decedere turpi
Et consanguineo regem suadebat amori
Parcere, nec summi contemnere uindicis iram.
Ille pijs mentem paulatim aduertere dictis
Cœperat, & sceleris potuit iam linquere morem,
Ni mollem illecebræ cepissent turpis amicæ
Pauissentq; acrem molli sub corde furorem.
Illa labantem animum nutu impellebat, & ægro
Non ægre monitus uertebat pectore sanctos.
Quin metuens, dictis dum sæpe hunc urget amaris,
Ne quando insanos uates extingueret æstus
Inq; ipsa accensas furias sedaret amantis,
Sæpe preces lacrimis miscens his forte tyrannum
Vocibus aggressa est; rapient ergo irrita uenti
Quæ dederas nobis toties promissa, ferentq;

Spes etiam nostras rapidi, nec te ulla tenebit,
Ah durum, extincti te propter cura pudoris?
Ignoti si uerba uiri te tristia flectent,
Et poterunt pactas iamdudum soluere tedas,
Ten illi præbere aures, & lædere famam
Ausum Herodiadis pacato cernere uultu?
Et securus adhuc uiuit ferus ille, tuoq;
Hospitio fruitur liber, pœnaq; uagatur
Ante oculos expers, quæ sunt mea crimina tanti?
Scilicet hic thalamis miseram pactoq; cubili
Extorrem aspiciet uictor, quemq; ipsa reliqui
Incensum infandis odijs, & coniugis ira
Ereptæ, in sedes reuehar captiua Philippi.
Nec me tam leti terret crudelis imago,
Quam paueo ut uiuens te sim caritura, tuoq;
Complexu exceptam fugiens uita ægra relinquat.
O' utinam nostris hæsisset flamma medullis
Parcius, immeritam quæ nunc male perdit amantem:
Aut tua non leuior præcordia carperet ignis:
Non penitus nostro insedisset pectore uulnus,
Nec, quod tam facilis fuerim, nunc perdita pœnas
Has luerem tanto infelix confecta dolore.
Hæc promissa fides, pro simplicitate reponis
Hæc nostra, ut uerear dictis auertat iniquis
Ne mihi te quisq̃ & nostro seiungat amore?
Hæc de te merui, nobis hæc præmia tandem
Reddis? si mecum stabili te fœdere iungi
Non animus fuerat, nec te data dextra tenebit,
Quid primo abductam thalamo castoq; cubili
Pollicitis fraudas, & spe me pascis inani

Immemor, ac saeui miseram formidine leti
Concussam tanto curarum turbine iactas?
Certe ego te famae antetuli sanctoq; pudori,
Et nostrum pro te foedaui crimine nomen.
Quod te per nostri superest tibi si quid amoris,
Id decus obtestor quondam quo grata putabar
Ipsa tibi, falsa est huius ni gloria formae,
Hinc procul expellas, merita uel morte peremptum
Hunc mulctes, tanto insontem qui auertere amantī
Me studet, immiti peream ne uicta dolore.
Aut, huius tibi si tantum sunt effera cordi
Iussa, nec hos duras questus demittis in aures,
His manibus, figit regis simul oscula dextrae,
Me perime, & nostro sumas tu sanguine poenas.
Sic ego si moriar lucem haud inuita relinquam.
His dictis se se in mollis demisit amantis
Moesta sinum largis perfundens fletibus ora.
Heu semper miseris mortalia dedita curis
Quam facile à recti declinant pectora cultu
Cum furor insanus saeuiq; Cupidinis ignes
Per uenas serpunt imas atque ossibus haerent,
Ardua nec ratio obsistit, nec cernitur aegris
Quam subito pereant fugientis gaudia luxus.
Quem pius aeterni succensus flaminis igne
Non potuit tetris uates auertere flammis,
His mala labe sua contactum foemina dictis,
Turpia pellexit non magno in uota labore.
Continuo facili labuntur pectore summi
Dicta uiri, mentem subeunt monumenta nefandae
Coniugis, haec oculis iamdudum & sensibus haeret.

Hæc eadem benefacta abolet diuinaq; uatis
Præcepta, insanoq; iras sub pectore nutrit.
Iamq; animum cupere rex dudum explere furentis,
Insontemq; uirum crudeli absumere leto;
Sed decus insignis uitæ, memorandaq; facta
Illius obstabant, nec quo defendat iniquam
Cædem habet, aut sceleri sumat quæ exordia tanto.
Nec melior captum mutat sententia mente.
Ergo hunc dum turpi uates auertere pergit
Crimine, dum furias incestii damnat amoris,
Explendæ caüsas optanti præbuit iræ.
Ille etenim fœdæ ex oculis hunc iussit amicæ
Auferri, & sontem ueluti, quæ proxima uisa est
Tunc sibi pœna neci, claudi illum carcere, quo non
Teste deo melior fuerat nec iustior alter;
Is tamen æquo animo stolidi crudelia regis
Iussa ferens, miseros quantum non claustra uetabant
Impia mortales optato aduertere regi
Pergebat summo, diuinaq; iussa docere,
Et morem infandum Herodis, miserandaq; gentis
Humanæ sanctis incessere crimina dictis.
Ast is non ullis præbebat uocibus aures;
Demens qui è prauæ totus pendebat amicæ
Arbitrio, hæc, cæcam turpis quocumq; libido
Traxerat, haud duris miserum flectebat habenis.
Hæc igitur, quamq̃ in uatem accendisse tyrannum
Et potuit duris insontem nectere uinclis,
Præteritiq; iuuet tutam meminisse pericli,
Ac uetitum stabili iunctum sibi fœdere amantem,
Absentem tamen hunc præsens auditq; uidetq;,

Et se carpentem dictis despectat amaris;
Terribilesq; uiri monitus & libera iussa
Assiduis urgent stimulis terrentq; pauentem.
Qualis ubi duris Nomadum uenator in aruis
Incidit in iaculis actum de monte leonem,
Frendentisq; feri uix dente elapsus, aperto
Securus licet in campo tamen horrida semper
Ora uidet rapidumq; diu reminiscitur hostem,
Aut ubi quem carcer seruabat criminis atras
Laturum leto pœnas, si uincula rupit
Euasitq; fuga, elapso tortorq;, necisq;
Assidue ante oculos dira obuersatur imago;
Haud aliter trepido uersans sub corde timorem
Turpis amans, ausis reputat nil omnibus actum
Optato properet ni uatem perdere leto.
Nec contenta amplis solitum spatiarier aruis
Angusto in tecto, & solis clausisse latebris
Quærebat tota uitæ hunc subducere mente,
Et nece se tandem longis hac soluere curis,
Optatamq; uiam ostendit Fortuna modumq;.
Forte dies aderat, prisco quem more quotannis,
Illo quod fuerat uitalibus editus oris,
Rex celebrare epulo festoq; assuerat honore.
Hoc iuuenum primi, & forma cultuq; puellæ
Insignes, aula admissi dapibusq; beatis
Læta frequentabant alacri conuiuia plausu.
Hunc uero prius alma nouo q̃ proderet ortu
Aurora, igniuomos iungens ad frena iugales;
Cum uagus occidua sublatus noctifer unda
Aethera suffundit tenebris, stellasq; reducit,

Et

Et pecudes ſerpensq; animal raucaq; uolucres,
Ac mortale genus,uigili defeſſa labore,
Admittunt placidam per corda ſopita quietem.
Rex ipſe oblito curarum pectore ſomnos
Carpebat, ſeroq; rigabat membra ſopore;
Et iam nox curſu medium ſuperauerat axem,
Fulgenteſq; faces in mundi prona uehebat,
Cum nitidis fuſo in ſtratis blandumq; fouenti
Complexu è tenero ſpirantem coniugis ignem,
Olli uiſa uiri ornatu inſignis & ore
Effigies, ſacer ad talos quem fuſus amictus
Canaq; purpureæ uelabant tempora uittæ,
Sicq; audita loqui; Tibi mollem cura quietem
Ducere,& ignauo proſternere membra ſopori?
Immanis tibi commiſſas moderatur habenas
Fœmina,dilectiq; deo retinacula regni?
Ah miſer,ah male caute uides quibus æſtuat illa
Fluctibus,& quantos agitat ſub corde furores;
Et tamen hanc propter nexus abolere uetuſtos,
Et ueram uobis uenientem pandere lucem,
In tenebris cohibes,& tetro carcere claudis.
Quin etiam cum clara dies ſe gurgite cano
Tollet,& ardentes radios induxerit orbi,
Egregia hunc coniux pro ignaui munere facti,
Hunc,tibi qui potuit perituro afferre ſalutem,
Aeternáq; decus uitæ,brutum uelut,aræ
Aut epulis animal paſtor quod ſeruat opimis,
Crudeli iam iam perdendum funere poſcet.
Dum licet inſanæ mentis compeſce furorem;
Infandóq; tibi deuinctam fœdere,quæ iam

Facta tui regniq; potens promissa reposcet,
Mitius optare assuescas, aut parcius uti
Pollicitis, pauco quæ in uos post tempore cedent.
Ille quidem superis iampridem debitus, ægro
Corpore se exoluens cœtus terrasq; relinquet;
Atque aliam nullo præscriptam tempore uitam
Deget, & ætherio præsenti rege fruetur:
Nec refert, sua ne illum mors, an uulnus acerbum
Finiat, atque æui modicum ferus auferat ensis.
Te tamen ô semper doliture æterna manebunt
Supplicia, & uindex summo sub iudice pœna.
Et quæ nunc cædemq; inhiat, sanctumq; cruorem
Vatis, & horrifici compos mox impia uoti
Ibis ouans parto tali spectanda trophæo,
Illi tempus erit diri cum funeris insons
Esse uolet, uitamq; illa pro cæde pacisci,
Cum patrio extorrem cœlo, regnoq; beato
Te comitata suum, rerumq; atque indiga lucis
Longe alias gentes, aliasq; uehetur ad oras;
Vitam ubi pauperie in misera luctuq; trahetis;
Externosq; pati mores, fastusq; coacti,
Confectisq; situ tandem duroq; labore
Corporibus misero linquetis funere terras,
Ac barathri immersis tetri infelicibus umbris,
Supplicijs nullo cessandum est tempore diris.
Tantum effatus regem mortalemq; reliquit
Effigiem, tenuesq; procul concessit in auras.
Talibus at uisis perculso protinus illi
Somnus abit, gelidusq; subit pauor ossa sub ima.
Nec dum pigra nouo fugiens nox cesserat ortu,

Corripit è stratis trepidos cum mollibus artus,
Atque oculos peragrans, crebrisq; recursibus aulam,
Fatidici responsa uiri, uisamq; uolutat
Effigiem, per tot seruata ex ordine reges
Illa forte domo tabula quae extabat eburna,
Molli ducta manu, gemmisq; auroq; renidens.
Namq; olim Solyma meritis insignis in urbe
Vir fuit, aeterno perfusus numine mentem,
Ignauas qui uoce tribus, tumidosq; tyrannos
Compescens, summi pia patris iussa docebat.
Hic & clamantis nemorosa per auia uocem
Supremi cecinit uatis, mirosq; futuri
Aeterni regis conceptu uirginis ortus,
Humani attactus noxaeq; expertis, & illo
Deuotum mortale neci, dirisq; tenebris
Exemptumq; genus recreataq; secula partu.
Verum dum sanctos monitus metuendaq; summi
Dicta uiri haud aequa rex captat perfidus aure,
Ancipitem struxit querno de robore serram,
Perq; uiri hanc costas adigens, miserabile dictu,
Dissecuit medium, & longa sic morte peremptum
Impia subduxit uitae per uulnera corpus.
Ille igitur longum quamuis ante editus aeuum
Cessisset terris superas euectus ad oras,
Nota tamen pietas & sacri carminis ardens
Gloria, quo regni cecinit noua secla futuri,
Et picto seruata diu uiuebat imago.
Ergo immota tenens rex fixo hic lumina uultu
Multa mouet, trepidusq; imo sub pectore uersat
Eximij uatis benefacta & coniugis iras:

Illa metus uulgi, impatiens has aggerat ardor.
Heu quo declinet? facinus ne immane retractet?
Et sua dicendi reddatur sancta redempto
Libertas, cedantq; pijs fera pectora iussis?
An misere ex illo lenitum carcere uulnus
Non grauet, & uatem seruãdo extinguat amantem?
Nulla quies, non ulla animum sententia firmat.
Ancipitesq; inter curas, certumq; timorem,
Has nunc in partes agitur nunc flectitur illas.
Cōp. *Ceu speculum uersat cum quisq̃ leue, micantis*
Perculsum solis radijs, iam mobile tecti
Summa ferit lumen, uacuas iam uerberat auras,
Quaq; refulgentis facies se uerterit orbis,
Omnia percurrens uarijs loca flexibus ambit.
Iam caput oceani madidum sol aureus unda
Extulerat, croceoq; diem patefecerat ortu,
Cum trepidant omnes, felix quibus illa futura
Lux fuerat, subeuntq; alacres regalia tecta:
Ipse licet nulla admittat rex gaudia, & altum
Pectore uulnus alens ingenti exuberet æstu,
Spem tamen obducens uultu frontemq; serenans,
Egregio procerum coetu, iuuenumq; caterua
Septus, & ardenti late spectandus in ostro,
In stratis placide uenientes accipit altis,
Ordine quemq; iubens lautis discumbere mensis.
Regia suspensis aulæis tota superbis
Splendet, & inductis niueis mantilibus ingens
Cedrus, collucentq; abacis ingentia latis
Ex auro solida, & miris uasa aspera signis.
Continuo manibus lymphæ funduntur odoræ,

Tum famuli centum cumulatis orbibus amplas
Triticeis onerant candentibus,& dape mensas
Multiplici,totidem pubentis flore iuuentæ
Et cultu similes ardentia pocula miscent.
Atria lata sonant strepitu,laqueataq; lætis
Vocibus,& uario miscentur murmure tecta.
Ergo Herodiadi,quod uix optauerit umq̃,
Cum lacrimis repetenda dies illa obtulit ultro;
Namq; nitet largo diues dum regia luxu,
Hæc natam ornabat solerti sedula cura,
Quam cantu & molli spectantes ducere saltu
Mira arte edoctam,à primis permiserat annis
Fœmineos celebrare choros cœtusq; uiriles.
Illam quo poterat studio comebat,& artem
Natiuo decori formæq; addebat honores;
Ora colorato pingit fulgentia fuco,
Certantesq; auro crines innodat in aurum,
Tum grauibus teneras aures & pectora gemmis
Baccatoq; onerat candentia colla monili;
Contextam hinc auro uestem, gemmisq; coruscam
Induit insertis,uiuis distincta figuris
Quam ducto argento decorabant aspera signa.
Sic paruæ genitrix natæ male cauta pudori
Insidians, gestu quo se componat,& orbes
Quos agat,& quali ducat uestigia motu,
Haud ignara docet,tum mollis gramine costi
Conspersam,& totam fragranti rore madentem
Sic iubet instructam regis se sistere ad ora.
Cuncti illam aspiciunt cupide & mirantur euntem
Vt fastu uultus obducat parua tumenti,

Præferat ut tenera maturum fronte decorem.
Iamq; aulam subit, atque hilarem introgressa tyrannū
Conuiuasq; petit, blanda quos uoce salutans
Accipitur placide, & largo cumulatur honore.
Vt uero expleti dapibus, requiesq; petita,
Demulsitq; aures non uno tibia cantu,
Rex nitidæ gnarus lusus artisq; puellæ,
Compositos iubet, & uarios hanc edere motus;
Nec mora turba frequens se se collegit in arctum;
Illa autem bifori buxo præeunte, nouosq;
Ad sonitus quos pulsa modis dant tympana miris,
Cœpit certa uago uestigia ponere gressu.
Iamq; hos absoluit, iamq; illos diuidit orbes,
Fulgentisq; soli pedibus nunc leuia pulsat
Marmora, pernices certo nunc ordine plantas
Suspendit, rectoq; agilis se corpore motat,
In numerumq; pedes agitans procedit eodem
Incessu, uarijs mox cedit saltibus, amplos
Aut gyros agit, angusto aut se colligit orbe.
Quæ simulac longo clausit spectacula lusu,
Excipitur cœtu circum plaudente, nouisq;
Certatim hanc omnes & regem laudibus ornant.
Ast obtusa gerens nimio præcordia luxu
Herodes, madidusq; iocis uinoq; uacillans,
Ecquæ mater, ait, formosi præmia partus
Digna feret? formæ & grati quæ filia lusus?
Quare age quæ cupies dulcis pete cumque puella:
Cuncta feres, si uel regni solijq; uenire
Legeris in partem, & mecum regina uocari:
Per patris id iuro superum inuiolabile numen.

Sic ait, & pariter cunctantem hortatur, & addit
Quæ petat, & largis ornat sua munera dictis.
Illa autem, dira seu sic edocta parente,
Siue, quid oblatis de tot prius eligat, anceps,
Hanc festina petens, magni promissa tyranni
Edocet, & donis poscit consulta legendis:
Accipiens quæ animo tempus scelerata modumq;,
Hæc secum; nostro finis non ulla dolori
Nec requies erit? & uitam inter spemq; metumq;
Aegra traham dubiam semper? nostrisq; ferocem
Ille animum lacrimis pascet, miseramq; iubebit
Ante diem extingui crudeli funere uitam?
Quem proferre piæ cœlestia commoda pacis,
Aeterniq; aiunt felicia tempora regis.
Nec pœnas hic morte luet? Sed uindicis ira
Me uetat, & timidam terrent odia aspera uulgi.
Ergo sic uiuam potius? Sed linquere mortes
Per mille id uitam est. inuictum flectere regis
Pellæi una animum potuit nec sobria pellex,
Vnde est in tristem subito prolapsa ruinam
Persepolis, regni memorabile nomen eoi;
Ipsa ego non Thais, tellus absorbeat ima
Me prius, Herodis coniux, explere merentis
Vnius exitio, grauibusq; exoluere curis
Non animum potero? musset mutabile uulgus,
Inq; unam exertent omnes rapida ora, quid ultra
Tum metuam? dicar nimium indulsisse furori,
Esto, atrox fuerit, sed non reparabile crimen.
Multa grauis carpit liuor patranda, feruntur
Facta eadem, ac sæpe hæc tribuit plebs improba laudi.

Tales illa truci uoluens sub pectore questus,
Eheu quo turbor gemitu, iam faucibus imis
Hæret, & hæc fari linquit uox ægra parantem;
Nata dies inquit nostras hæc soluere curas,
Et poterit longo finem præbere dolori.
Tu modo, ne ceptis quicquam felicibus obstet,
Tolle moras, munusq; piæ allatura parenti
I pete Ioannis caput à ceruice reuulsum.
Hæc maneant nostrum qui fœdant crimine nomen.
O' sæuam ò tetram rabies quo te impulit atra?
Tu ne uirum decus eximium, tu pessima gentis
Fœmineæ ignaui mercedem poscere lusus,
Flammantisq; animi fluctus cæcumq; furorem
Illa anima potuisti, illaq; extinguere cæde?
Sol, qui humana oculis penetralibus omnia cernens
Denudansq; opera, horrificis sæpe impia signis
Accusas scelera, & cohibes formidine mentes,
Impie sol, nitidum quid non mortalibus illis
Occuluisse caput, turpemq; offundere noctem
Te aspexere pij, tantumq; horrescere crimen?
Illum per nemora, in lustrisq; horrentibus æuum
Degentem mutum genus, atque immite animantum
Liquit inoffensum, semperq; per alta uagantem
Auia, & in solo carpentem gramine somnos
Securum, haud umquam læsit uis sæua ferarum.
At tibi sæuitia ò rabidos truculenta leones,
Et tigres superans, dirisq; immanior hydris,
Nulla fuit pietas, flexit clementia pectus
Nulla tuum, ut uatis posses miserescere tanti,
Et scelere insigni crudelem auertere mentem.

Ergo abijt parens genitricis filia dicto,
Et donum supplex regem miserabile poscit.
Indoluit dubia turbatus mente tyrannus,
Continuoq; oculis nubes discussa, madensq;
Visa sub hesternam pectus mouere quietem.
Iamq; acres subeunt monitus, iam dira minantem
Funera præsentem uigilans auditq; uidetq;
Atque hinc ancipitem sancti reuerentia uatis,
Si scelus admittat, uulgiq; mouenda tenebant
Corda, fides illinc sanctæ promissa puellæ,
Et timor, astantum ne animos periuria lædant.
Quid faciat? tanta num spe deturbet amantem,
Et deuota neci, suppostaq; uictima ferro,
Quæ sola infandum poterit lenire dolorem,
Incensæ sacram furijs non imbuat aram?
An meritas sancto fuso det sanguine pœnas,
Et certum exitium promissaq; funera cernat?
Iam potuit uecors crudelia flectere iussa,
Concilijsq; moram, certasq; innectere causas,
Inclyta tum uatis pietas, ac uisa referre
In melius poterant nutantem insomnia mentem,
Sanior at sensus tunc pectus liquerat ægrum,
Arbitrioq; amens diræ pendebat amantis.
Agnoscit quid cæca sequi iubet ira, furorq;,
Quidue nitens ratio, penitus sed pestis in artus
Descendens imum cogebat frigore pectus,
Quoq; magis dirumq; nefas propiusq; periclum
Impendens capiti, prædictaq; funera noscit,
Ingruit hoc torpor magis augescitq; morando.
Qualis ad optatæ uenturos gaudia terræ

Electos Pharaon populos cum carcere, & atro
Seruitio premeret, magni iam mira uidebat
Signa ducis, superumq; minas, cœloq; petita
Excidia, & diræ præsentia funera cladis,
Horrida sed duro glacies in corde rigebat.
Et ueluti canum si tollere fœda parentem,
Siue uirum turpi promisit adultera mœcho,
Atque atrum in proptu est sceleris quod gnara uenenũ
Misceat incauto, facinus crudele, comesq;
Ante oculos culpæ pœna obuersatur, & anceps
Cuncta timens ausum exequitur tandem impia dirũ,
Pollicitis sæuum ne infandis fraudet amantem:
Haud secus Herodis dubiam sententia mentem
Deterior mouit, factumq; immane petenti
Annuit; ignauus, qui pluris olentia duxit
Dicta merum impuræ non abiurare puellæ,
Tali cæde sibi q̃ non accersere mortem
Longe aliam, & nunq̃ delendum admittere crimen.
Sæua igitur uecors statuens promissa tyrannus
Implere, immanemq; animum satiare pudendæ
Coniugis, & recti hanc propter decedere cultu,
Dirum horrendum crudele ingens imperat ausum
Absolui, atque atrum posita pietate ministrum
Criminis infandi tam sancti sanguine uatis,
Pro scelus, insonti crudeles sumere pœnas.
Iam laudum immenso uates diuine tuarum
Expatiata mari tenuis subit hostia puppis
Optata, & positis sinuantur carbasa uentis.
Iam penitus sacræ fixi uestigia syluæ,
Intacta referens lectos ex arbore ramos,

Felix cum tali præcingi tempora fronde,
Et merear tantæ decerpere laudis honorem.
Hæc si digna pijs habeantur carmina ceptis;
Atque tuos ortus, sanctæq; insignia uitæ
Facta tuæ, digno exulimus si ad sidera cantu;
Deflemusq; pie facinus crudele tyranni,
Qui sæuo ante diem rapuit te funere terris.
O' tantum his oculis largus ne tristibus humor
Desit, & hæc tales comitentur carmina fletus,
Mœsta tui comites sparserunt qualibus ora,
Quum caput ex humeris disco scelerata reuulsum
Nata sacrum referens diræ lacrimabile matri
Offerret donum, tristesq; cruenta uiderent
Spectaclo immanem satiantem lumina tali;
Et stratum tellure tuum miserabile corpus,
Quo duce deserti heu pietas, qualiue magistro,
Exciperent sublime humeris tumuloq; referrent,
Tam dignis cuperem lacrimis tua maxime uatum
Funera, & hoc diram questu deducere cædem;
Ni tua dura pijs patribus mors læta tulisset
Gaudia, sub noctis feræ tabentibus umbra.
Quandoquidem superis post uitæ incommoda ab oris
Excedens, sine luce domos, sedesq; subisti
Quas animæ insontes & fortunata colebant
Agmina, cælicolum iam iam expectantia regem.
Huic ut tu in terras uenienti præuius isti,
Par fuerat uita te functum in cæca præire
Regna, ostensurum uenturæ his gaudia lucis,
Illa quos tenus in tenebris traducere noctem
Antiqua impulerat primæui noxa parentis.


Paruit ergo atrox dicto, crimenq; minister
Horrendum accelerans, ubi regis iussa nefandi
Insignis uates haud fracta mente ferebat,
Claustra adijt, strictumq; attollens impius ensem
Letiferum, toto pendentis pectore cœlo,
Ah facinus, sanctum ex humeris caput abstulit, ille
Concidit exanimis, iacuitq; in carcere truncus.


SERIES LITERARVM,

A B C D E F G H.

APVD ALDI FILIOS.

VENETIIS, M. D. XLVI.




BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


ALDI
FILII

